



ast.



3068 Th.

~~Homilet. Luther: 718.~~

Homilet: 139




















Tractatus  
**DE QVADRU-**  
PLICI METHODO  
Concionandi,

**RATIONEM DIVERSIMO-**  
DE FORMATARUM CONCIO-  
num, quæ potissimum in Ecclesiis, Di-  
vinitus, ministerio D. Lutheri repurga-  
tis, in usu sunt, exponens,

*Autore*

**CHRISTOPHORO**  
SCHLEUPNERO, S. S. THEOL. D.  
& Comitatus Mansfeldensis Su-  
perintendente.

**EDITIO TERTIA**  
*auctior & locupletior.*



**L I P S I Æ,**

Typis Valentini Am Ende, ANNO  
**M. D C. XIII.**

*Sumtibus Christophori Elligeri Bibliopole.*



Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden




AD CANDIDUM  
LECTOREM.

**M**agnam sententiarum, etiam de una eademque re, in vita communi, diversitatem & discrepantiam esse, neminem, qui non videat, inveniri arbitror.

Ut enim facierum humanarum ingens varietas se offert, ita ut si aliquot millia hominum concurrant, duo tamen non reperiantur, qui eandem & secundum omnia lineamenta consimilem figuram exhibeant: ita in mentibus opiniones & judicia de rebus in quotidiana vita obviis enormiter variare, maximè verò sacratissimum concionandi negotium libidini isti judicantium expositum esse, experientia testatur. Ut enim jam nihil dicam de

---

(:) 2

iis,



AD LECTOREM.

iis, qui extra reformatæ, & genuinam Auguſtanam Confessionem amplectentis Eccleſiæ pomœria vivunt, ac conciones noſtras in materialibus & dogmaticis reprehendunt: neque etiam de Laicis, qui modò hoc, modò illud in piorum verbi Miniſtrorum homiliis deſiderant; certè Literati, etiam purioris religionis Studioſi, ob judicium nondum confirmatum, in dijudicandis formis ac Methodis concionum, evidenter diſſidentes audiuntur. Quidam enim in ſublime illud docendi genus, quo D. Lutherus, ſingulari Spiritus divini afflatu eſt uſus, impingunt, dum aut orationis Theandricæ filum vagâ loquentiâ imitari ſatagunt; aut quia vident, ſtylum & ſtructuram inimitabilem eſſe, utpote analyſi Rhetoricæ non ſubjacentem, ſcripta illa graviffima culpant, vel ad minimum in lectione quotidiana negligunt.

Non



AD LECTOREM.

Non paucos Paraphrasticâ & Textuali expositione unicè gaudere constat, ita ut posthabitis, imò spre-  
tis omnibus artificiosis inventioni-  
bus, id, quod ipsis est familiare,  
omnibus etiam exercitioribus,  
obtrudere contendant. Nonnullo-  
rum ferunt animi, in Dn. M. An-  
dræ Pangratij Methodum concio-  
nandi, tanto impetu ruere, eique  
tam pertinaciter inharere, ut alios  
Methodicos libellos fugillare, quàm  
in minimis à præscripto tramite de-  
flectere malint. Aliquos tandem  
commodam illam concionandi ra-  
tionem, qua duæ aut plures quæ-  
stiones alicujus articuli fidei propo-  
nuntur, & nervi responsionum ex  
prælecto Textu depromuntur, ad-  
mirari quidem, probare & amare:  
in eo tamen hæerere, cum artificij re-  
gulas, & canones ad imitationem  
perducentes extare non videant,  
quo pacto ejusmodi forma usurpari,

(:) 3

& ad



AD LECTOREM.

& ad concionum œconomias ador-  
nandas feliciter adhiberi debeat.  
Etsi autem πολυμόρφωσις tot indivi-  
duorum in genere humano, cujus  
suprà mentionem feci, vituperanda  
non est, veluti sapientiæ omnipo-  
tentis Creatoris argumentum: ta-  
men istam multijugam & variam,  
de commemorato sancto docendi  
opere censendi insolentiam & præ-  
sumptionem, DEO probari, dice-  
re Ego non ausim, præsertim cum  
res contra justiciam & liberalita-  
tem divinam, charitatem item pro-  
ximi vergat. Equidem omnia, et-  
iam Spiritus, num ex DEO sint,  
probare, Christianis licitum est, i.  
Thessal. 5, 21. i. Johan. 4, 1. verunta-  
men probatio illa magis ad ipsam  
doctrinam & materiæ sinceritatem,  
quàm ad formæ concinnitatem di-  
recta esse debet. Testem hujus rei  
produco D. Apostolum Paulum,  
qui viam, indagandis & dignoscen-

dis



AD LECTOREM.

dis facultatibus Ecclesiæ doctorum, conducibilem monstrat, I. Corinth, 4, 2. dicens: Nihil magis requiritur in Dispensatore mysteriorum DEI, quàm quòd sit fidelis. Vnde colligitur, si Concionator formam sanorum verborum observet, 2. Timoth. 2, 1. rectè verbum veritatis secet, 2. Timoth. 2, 15. & Christum crucifixum, 1. Corinth. 2, 2. pœnitentiam item & remissionem peccatorum, Lucæ 24, 47. prædicet, potensque sit exhortari per sanam doctrinam, & arguere contradicentes, Titum 1, 9. non quidem, ut confundat Auditores, 1. Corinth. 4, 14. multò minùs ad eorundem condemnationem, 2. Corinth. 7, 3. aut destructionem: sed potius ædificationem, 2. Corinth. 13, 10. quòd in reprehensionem jure nullo incurere possit, quacunque vel tandem Methodo utatur. Sermo enim noster & prædicatio nostra non in per-



AD LECTOREM.

suasibilibus humanæ sapientiæ ver-  
bis, sed in ostensione spiritus & vir-  
tutis consistit, ut fides nostra non  
sit in sapientia hominum, sed in vir-  
tute DEI, 1. Corinth. 2, 4. 5. Præ-  
terea varij illi orationum Ecclesia-  
sticarum modi, non contrarij sunt,  
seipfos invicem destruentes, neque  
in rebus & materiis pugnantiam  
alunt, sed tantummodò diversam  
formam, quæ ab Apostolo μέτρον  
sive mensura fidei, Roman. 12, 3.  
nec non διαίρεσις donorum DEI, &  
Φανέρωσις τῶ πνεύματος πρὸς τὸ σύμφε-  
ρον, 1. Corinth. 12. 5. & 7. appellatur,  
ita exhibent, ut dona ἡττώνα, infe-  
riora, per κρείττωνα, id est, meliora  
non aboleantur.

Quòd si autem increpatio Chri-  
sti & Apostoli, in communi iudicio  
errantibus merito occinitur, Joh. 7,  
24. nolite iudicare secundum affe-  
ctum, sed iusto iudicio iudicate: &  
quod in Epistola Jacobi extat, capi-

te 2,



A D L E C T O R E M .

---

te 2, 4. nonne judicastis apud vos ipsos, & facti estis iudices perverse cogitantes; quâ fieri posset, ut iis, qui à D E O divisa & distincta *μέτρα* & dona, ad unicam Methodum, absque ratione redigere, aliosque in hoc vel illo genere præpollentes, superciliosè despiciere non reformidant, quoq; non opponeretur?

Quapropter ego, consideratis hisce, cum Hildesiæ juventutem scholasticam, Methodum meam, qua in concionibus, præsertim catecheticis, usus fui, eum in finem, ut dispositionem faciliùs consignare, & interrogati feliciùs etiam reddere possent, docerem, atque simul rationem exponerem, cur usitatam & aliàs commendatissimam Clarissimi Dn. D. Hunnij, p. m. Methodum, in capitibus pietatis enarrandis, non æquè, ac in Exegesi certorum scripturæ librorum adhiberem; simul excurrere mihi placuit ad re-

---



A D L E C T O R E M.

visionem & contemplationem plurimarum concionandi Methodorum: idque eò libentius, ut occasionem arriperem dehortandi Studiosos à temerario iudicio, quo multi in sanctissimum optimorum virorum laborem injurii esse solent.

Congessi autem totum negotium in quatuor libros, quorum quilibet peculiarem concionatoriam Methodum continebat. Primam Theandricam sive Heroicam nuncupavi, D. Martino Luthero, beatæ recordationis, usitatam ac nobis vulgaribus, ob styli grandiloquentiam & Spiritus ubertatem, inimitabilem. Secundam Paraphrasticam & Textualem inscripsi: Tertiam verò Articulatam: & Quartam Thematicam sive ab Autore Pangratianam appellavi.

Licet autem initiò illam qualemcunque lucubrationem, Auditoribus meis tantùm destinaverim: ta-

men



AD LECTOREM.

---

men hortatu Amicorum, Tractatum illum tandem publici juris fieri permisi, non solum ut dictata ab imperitioribus discipulis minus orthographicè excepta, à mendis vindicarentur: sed etiam ut iis, qui se instituto meo juvari posse putant, inserviretur.

Vtinam verò hisce pagellis fors tam fausta contingeret, ut multus exinde fructus ad communem Ecclesiam Christi, vel saltem studiosos Theologiæ, & sacri officij Tyrones, redundaret! Emergeret certè præmium, pro impenso labore mihi sufficientissimum. Non enim lucrum capto, quam ob causam Patronum per dedicationem quærere, cum aliis Scriptoribus, mihi volupe non fuit: sed te Lectorem, candore, judicij æquitate & inprimis pietate conspicuum, Patronum atque opusculi mei & Censorem & defensorem constituere placuit.

---

Habebis



AD LECTOREM.

Habebis sine dubio, contra quos patrociniū tuum exercere queas quotidie. Etenim aliquibus præsertim iis, qui uni Methodo pertinaciter addicti sunt, pluralitas Methodorum intolerabilis videbitur. Non paucis molestum erit, quòd Articulatam Paraphrasticæ prætulerim. Quibusdam terminorum, siue vocabulorum similiter desinentium usus invisus & exosus erit: unde futurum, ut tuâ excusatione & dextrâ interpretatione, libellus hic meus sauciatus, sanationem recipiat.

Nihil tibi suggero, cum ipsa veritas, tibi homini pio, prudenti & cordato, quid respondendum sit, satis superque suppeditet. Et si tu ipse me errati alicujus modestè & mansuetè commonefacere velis, veritati cedam, memor illius Apostolici aphorismi, quòd Spiritus Prophetarum, Prophetis subjectus

esse



AD LECTOREM.

esse debeat, 1. Corinth. 14, 23. Hactenus enim præter rationes jam indicatas, & in libello sparsim positas, praxis ministerij mei, quæ per gratiam Altissimi infeliciter non cessit, in primis autem magnorum Theologorum ἐργασία, ad constructionem hujus Quadruplicis Methodi me impulit. Si quis mihi firmiores, in contrarium inclinaret, rationes placidè monstraverit, me veritatis studiosissimum experietur.

Non autem dubito, Lector æquissimè, quin tuæ explicationi, rigidi Censores locum sint concessuri, si intellexerint, te unà mecum Methodum ex varietate donorum & mensuris χειρισμάτων metiri, atque Articulatam Methodum non ἀπλῶς (hæc enim ratione proximum à Theandrica locum Textualis obtinet) sed κατὰ τὴν, paraphrasticæ præferri, haud aliter, ac mem-

bra



AD LECTOREM.

bra corporis infirmiora, juxta Apostoli testimonium, 1. Corinth. 12, 22. maximè ; necessaria deprehenduntur : & tandem regulas de terminorum usu ideò poni, non quasi is necessariò requisitus statueretur, & vel concionatoribus abhorrentibus, vel Idiotis Auditoribus obtruderetur, quod insipidum esset ; sed tantùm eum in finem rem esse fusiùs pertractatam, ut abusus aut omninò tolleretur, aut ad convenientem usum revocaretur. Hac ratione non mihi solùm, sed & contradicentibus, & tibi ipsi plurimùm commodabis : quemadmodum Siracides dicit, cap. 6, 5. verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos : & lingua gratiosa in bono homine abundat, vel ut noster Divinus Interpres Lutherus reddidit : Wer das beste zur sachen redet / von dem redet man wiederumb das beste.

Domi-



AD LECTOREM.

---

Dominus J E S U S benedicat  
nostris laboribus per Spiritum  
Sanctum suum, & efficiat ut  
ipsi grata dicamus & faciamus,  
Amen.

Scriptum Islebij 8. Martij,  
Anno Christi 1608.

*Christophorus Schleup-  
nerus D.*



---

IN LI-



IN LIBROS CONCION.

METHOD.

REVERENDI ET CLARISS. VIRI Dn. CHRISTOPHORI SCHLEUPNERI, S. S. Theol. Doctoris & Illustris Comitatus Mansfeldici Superint. Gener.

AD LECTOREM.

*Q*ualis vir, tales vires; sunt roborata,  
Quanta sinit filum corporis esse viri,  
Ingenij ratio par est, eademq; bonorum,  
Est mentis ratio, pro ratione viri.

*I*apeti & quoniam nullus de gente LUTHERO  
Est major, quid n̄ talia dona forent?

*S*cripta docent, & dicta docent, resonante cathedra,

*Q*ue quondam divo protulit ore sacra:  
Hec licuit paucis imitari; nempe Theander  
Solutus præ reliquis lucet, ut astra micant.

*M*unera sunt aliis tamen, excellentia dona,

*Q*ue resonant pleno pulpita sacra sono;  
Hinc IACOB ANDREAS (sicut laus integra constet  
SAXONIBUS claris MARCHIACISq;) nitet.

Limp-



Limpida sunt illi, sed rerum flumine vecta  
Verba; In discipulis non leviora vides.  
Nam quod Suada fluit tibi, ter venerabilis  
HUNNI.

Et qui de FRUCTU NOMEN & OMEN habes,  
Laudibus aeternis dignum. Tu passibus aquas  
GESNERE, ut taceam RYNGIA quant a sient,  
Sed quid ego in pelagus magnorum excuro vi-  
torum,

Quaeq; sit illorum concio docta, cano?  
Hec jam SCHLEVPNERI clari dilucida scripta  
Monstrant, haec crebra volve, revolve manu.  
Uttere pro dono, methodo, atq; hoc mente reponere  
, Sub variis donis consona corda sient.

M. Paulus VVolfius Pa-  
stor Islebiensis ad D.  
Andream.



(?)

AD



## A D E U N D E M.

**V**idit Thesbites vates in vertice montis  
Chorebi DOMINVM, non ratione pari.  
Transiit ut, comes est illi vehementia Venti,  
Qui juga cum petris disjicit atq; rapit.  
Excipit hos flatus subito concussio magna,  
Ut terra motus obvia quæq; movens.  
Nec mora nec requies, sequitur mox flamma coruscans,  
Ceu videas terram, cum tonat, igne peti.  
Murmura discurrunt tandem crepitantibus auris.  
Æthere descendens lenis & aura fluit,  
Quid, quæso, nobis hæc visio mira figurat?  
Num frustra Helicæ talia visa putas?  
Haud unquam Deus objecit spectacula nuda,  
Quæ nihil edoceant, nil moneantq; suis  
Primitus attonitam mentem præsentia IHOVÆ  
Confortat, tristem discutit atq; metum,  
Visis & dictis mœrentia pectora mulcens,  
Ut curas imo solvere corde queat,  
Fortiter & duret, servans se rebus in arctis,  
Insidias nullas, nulla pericla timens,  
Per varios casus, per tot discrimina rerum,  
Ut fidus famulus cœlica regna petat.  
Tertius Helias cœlo at promissus ab alto,  
Aëra per medium grandia verba sonans,

Nuncius



Nuncius æterni, postremi tempore mundi,  
Christi Evangelij, certa ruina Papæ,  
Spiritus ad varias dotes accommodat aptè,  
Quæ variè à primo visa fuère prius.  
Præficit innumeros is servos ædibus amplis,  
Quas Christo caros incoluisse iuvat.  
Durus se duris, se præbeat acribus acris,  
Fulminet is, tonet is, leniter ille pluat.  
Fulgetra fulminibus tortis mixta aëra purgant,  
Pestifera absumunt arboribusq; sativ.  
Post largos imbres fusos pluviãq; madentem,  
Parturit exultans luxuriosus ager:  
Pastori cordi sic sit deducere rivos,  
Ut sint inde suo pabula iusta gregi.  
Unica servorum Christi sit cura bonorum,  
Verba Dei vivi ritè secare piis.  
Quis molli poterit cuneo dissolvere duros  
Nodos? haud ita quis findere ligna potest.  
Hunc dulcis lepor, & grato facundia gestu  
Adjuvat, & Suadâ corda benigna trahit.  
Hic varios animi languentes pellere morbos,  
Et firmare cibo languida membra studet.  
Quis neget hoc verum? Exemplis convincitur ipsis,  
Plurima quæ nobis pagina sacra dabit.  
Dotibus ut variant, variant methodoq; docendi  
Divini vates, nemo negare potest.  
Res aliter verbisq; modo jam cernis easdem  
Tractatas, an non Christus id ipse probat?

(?) 2

At quæ



At quæ præcipua mysteria sacra docendi  
Sint methodi, docto hoc conspicias ecce libro.  
O labor insignis, qui dignus laude perenni es,  
Dum ponis sancti grande laboris opus.  
Quod cum publicitus communem prodit in usum,  
Auctori grates, candide lector, age.  
Aurea commoditas tibi non despecta sit illa,  
Quem Superum indultu sancta cathedra capit.  
Dona agnosce Dei, vestigia ritè prementem  
Præscripta hæc certè commoda multa manent.  
Non plura adjicio: Tu maxime Christe tuere  
Doctorem eximium, & prosperitate bea.  
Possit ut ad similes longum superesse labores,  
Et bene communi consuluisse bono.

M. Daniel Willius ad S.  
Annam Islebientium  
Pastor.

## EPIGRAMMA.

**S**ic est: haud unâ est Methodo, sed mente fideq;  
Tradere plebeculæ dogmata sacra rudi.  
Munus ut hoc scitè quoq; Rhetoris arte regatur:  
Gratia cœlestis plus tamen arte valet.  
Gratia, pro modulo qua, distribuente I E H O V A,  
Effari in vulgus mystica cuiq; datur.

Non



Non etenim confert sua dona æqualia cunctis  
Spiritus; at cuius portio certa venit.  
Quid? modò quòd doceat Mystes, modò falsa refutet,  
Solamen monitis addat ubiq; pijs.  
Hinc videas claros doctores voce diserta  
Eloquij strictam non tenuisse viam.  
Hic sequitur textum interpres, filum ille Locorum:  
Quod sonat afflatu Numinis, arte vacat.  
Quod quia SCHLEVPNERVS commonstrat ritè, Lutheri  
Quem modò Doctorem patria clara fovet;  
Quadruplicem Methodum Scripturæ oracula docendi  
Dum studio magno promit & arte pari:  
Vtere cœlestis Sophiæ studiosa iuventus  
Hoc mecum libro, quæq; imitanda, proba:  
Et dic Auctori grates pro munere tanto,  
Funde pias eius proq; salute preces;  
Vt queat ad similes posthac superesse labores,  
Christiadùmq; diu consuluisse bono.  
HARMONIAE celeri pede sic liber huncce sequetur  
Alter; id ut fiat CHRISTE benigne fave.

M. Johannes Kromayer,  
Diac. Isleb. ad S.  
Andr.

¶ (?) ¶

(?) 3

Ad Au-



## AD AUTOREM.

**Q**uo resonant diâs devoti pulpita templi  
Voces, quadruplicem differis esse modum,  
Quemlibet & certis castigas legibus, uno.  
Demto, qui leges nescit habere suas.  
Sicq; doces Christi vulgantes dogmata, sacrum  
Ut doceant filo divariante gregem;  
Sicq; doces Christi discentes dogmata, sacrum  
Ut discant docili combibere aure sonum.  
Quid tibi pro-meritis Ecclesia grata repenet  
Tantis, ô summi praco verende Dei?  
Illa quidem precibus Numen cœleste laceffit.  
Crebris, & pro te talia vota facit:  
Hunc serva Mystam; tibi si quâ Ecclesia curæ est;  
Nec tantum nobis eripe, LOVA, virum:  
Mystam, qui genium pietati destinat uni:  
Fac sint virtuti tempora longa piæ.  
Ipsi tu flores animi, tu suffice vires  
Corporis, ut Spartam sospes obire queat;  
Multum & voce queat calamoq; juvare popellum  
Sanctum, & lucrari plurima corda tibi.  
Hec & plura sonat: Cui sunt pia pectora cordi,  
Profectu viduat nec pia vota Deus.

Interea



---

*Interea nobis indulge, vir pie, fœtus,  
Quos paris ingenij fertilitate tui.  
Da lucem videant, nec commoda differ; & astris  
Miscebit nomen Gloria rara tuum.*

M. Andréas Schöpfferus  
Islebiani Gymnas.  
Rector.

---

EPIGRAMMA.

**N**on hederæ extensæ ( ceu tritus adagio ) poscit  
Qui se sponte suâ vendit Iacchus, opem.  
Sic neq; Schleupneri methodus sacra postulat usum  
Carminis ad laudis nuncia verba suæ.  
Si tamen esse bonum, vulgo fas dicere, vinum,  
Nonne suo hanc Methodum dixero jure bonam?

M. Wilhelmi Pistorii Saximontani  
Hassi, comitum juniorum in  
Barby & Mülingen præcept.









IN QVADRUPLICEM  
CONCIONANDI ME-  
THODUM.

R R O O E M I V M.

**R**aditur *περὶ λεγομένων* loco:  
1. scopus huius Tractatus, quid  
in eo prætermittatur, quid verò  
contineatur: 2. quomodo Me-  
thodus concionandi definiatur: 3. Quâ  
ratione eadem dividatur.

I. Cum inter omnes omnium discipli-  
narum artes & *πραγματείας* ars habendi  
in Ecclesiis con-  
ciones operosissima  
& maximæ difficul-  
tatis sit, consultum  
& necessarium ali-  
cui videri poterit, ut  
conscripturus ratio-  
nem formandi con-  
ciones, rem à primo,  
quod dicitur, ovo re-  
petat, ac ostendat,  
quibus adminiculis  
& donis, ad susci-  
piendam, divinam,  
hanc provinciam,

*Negocium habendi  
conciones admodū dif-  
ficile est, propter 4. cau-  
sas: 1. propter myste-  
riorum Dei tractando-  
rum sublimitatem, 2.  
propter formarum &  
Methodi varietatem.  
3. propter memoria,  
vocis, elocutionis & a-  
ctionis laboriositatem.  
4. propter Auditorum  
diversitatem, & non  
paucorum ruditatem.  
Ideò Philippus Me-  
lanchthon dicere soli-  
tus est: Habere con-  
ciones ad populum,*

*Concio-  
nandi o-  
pus om-  
nium est  
gravissi-  
mum.*

A

Con-



Concionator instructus esse teneatur; quid magni ad illum laborem fusæ ad DEUM preces conducant; utrum præstet accuratè conciones præmeditari, an extemporaneæ facundiaæ confidere; quibus verbis, num stylo Spiritus sancti solo, vel interdum etiam populari sermone loqui fas esse queat; quid de imitatione statuendum sit, & quorum Autorum libros consulere conveniat; de consignatione item, num verba concepta pueriliter ediscenda, vel ex charta legenda sint; quousque conciones protrahere, vel quando easdem abrumpere deceat; qua deniq; voce, qua actione & quibus gestibus singula proferre debeant.

*non est ars, aliàs fortè eam & ipse scirem: sed est donum Dei.*

*Auctores  
qui de  
Methodo  
concionandi  
scripserunt.*

Verùm enimverò quia de hisce rebus aliorum, & quidem celeberrimorum Theologorum doctissimi libelli extant, inprimis D. Jacobi Andreæ & D. Aegidij Hunnij (beatæ memoriæ) Methodi, D. Lucæ Osiandri & D. Lucæ Backmeisteri de ratione & modo concionandi, D. Danielis Crameri libellus de modo tractandi textum scripturæ, quibus & opusculum Andreæ Hyperij de formandis

con-



concionibus accensemus : Nos in eorum informatione acquiescentes, hoc Tractatu tantum ea, quæ ad inventionem & dispositionem, hoc est, ipsam construendarum concionum Methodum, ejusque varietatem pertinere videbuntur, simplici brevitate percensere  $\sigma\omega\theta\epsilon\omega$  studebimus.

II. Est autem methodus concionandi certus ordo, apta ratio & nervosa dispositio orationum Ecclesiasticarum, tam Præconi ad perspicuè explicandas & feliciter proferendas, quàm Auditori ad exactius percipiendas materias sacras, apprime utilis.

*Hunc ergo libellum & similes, non tantum officij Ecclesiastici Tyrones & S. Theologiæ studiosi: sed etiam omnium aliarum facultatum & vitæ generum homines, cum fruge legere poterunt, ut videlicet scopum & nervis cujuslibet sacre concionis eò facilius & commodius assequi possint.*

*Methodus concionandi omnibus cognita utilis.*

III. Quemadmodum in aliis sacri officij partibus omnibus, magna donorum Ministris collatorum diversitas sese offert, juxta sententiam Pauli, I. Corinth. 12. 5. 6. Divisiones operationum

A 2

sunt.



sunt, idem autem Dominus: & divisiones donorum sunt, idem verò DEUS, qui operatur omnia in omnibus: ita etiam hac in parte, munus concionandi concernente, inæqualis facultas Docentium animadvertitur. Et ut specilialiùs rem exprimamus, formæ concionum, quæ in Ecclesiis Evangelicis hodierno seculo sunt in usu, ad quatuor Methodi species referri possunt, & commodè appellantur

*Methodus concionandi quadruplex est.*

- I. Heroica seu Theandrica,
- II. Textualis seu Paraphrastica.
- III. Localis seu Articulata.
- IV. Thematica sive Pangratiana.

De singulis ordinè & peculiaribus libris agetur.





LIBER P R I -  
M U S.

DE METHODO CONCIO-  
NANDI HEROICA.

Hic liber quinque tantum constat  
partibus.

- I. *Methodi Heroicæ definitionem affert.*
- II. *Quibus Doctoribus hæc concionandi forma in usu fuerit, ostendit.*
- III. *Sermonem ex operibus D. Lutheri paradigmatis loco, introducit.*
- IV. *Specimen dissertationis & spiritus Heroici, in alio quodam Theologo deprehensi, apponit.*
- V. *Hanc Methodi speciem inimitabilem esse docet.*

C A P U T I.

DE DEFINITIONE ME-  
THODI HEROICAE.

*Hoc caput Methodum Heroicam describit dupliciter. 1. quid sit. 2. quid non sit.*

- I. *Methodus concionandi Heroica est genus dicendi ἀτεχνον, ubi verbi coelestis Doctores peculiari spiritu & Divinâ vir-*



tute præditi, materiam quandam sacram, omissâ plerunque partitione & suppressâ propositione, neglectisque alijs Logices & Rhetoricæ requisitis, ad Spiritus sancti dictamen & incitamentum, zelo, sapientiâ & dexteritate admirabili, instar orationis Propheticæ & Apostolicæ, pro concione tractant.

*Methodus  
Heroica  
an arbitraria sit  
dicenda.*

II. Etsi autem hæc concionandi ratio inartificialis est, & à legibus artium non dependet: tamen propterea arbitraria dicenda non est. Præterquam enim quòd arbitraria, ut vocant, Methodus, methodus dici nequit, ob contradictionem, quæ in adjecto committitur; hæc præsens concionandi forma divinis legibus regitur, ita ut eâ utentes, non pro ut ipsi humanitùs feruntur: sed ad motum Heroici spiritus agitati, verba faciunt. Roman. 15. 18. Non ausim aliquid loqui eorum, quæ per me Christus non efficit.

## C A P U T II.

*Demonstratur hoc capite, Methodum Heroicam usitatam fuisse, 1. D. Martino Luthero maxime. 2. Ex rarissimis Theologis nominatim D. Ioachimo Mörliano.*

I. Ultimis hisce mundi temporibus

Bea-



Beatus Lutherus hanc docendi rationem ferè solus peculiarem habuit. Siquis enim illius viri Dei homilias evoluit & perpendit, non Textus partitionem, non statum & principalem digitis ostensam propositionem, non dispositionem, non locorum communium ordine naturali se invicem excipientium connotationem, non denique, Alijs usitatam recapitulationem ubivis & semper deprehendit: sed passim videt, venerandum Patrem thesin quandam, plerumq; longè petitam, abstrusam, & non omnibus obviam, è textu eruere, illamq; admirandâ Spiritûs ubertate, favore & fervore, inexhaustâ sapientiæ Theologicæ abyssu, & validissimo prægnantium verborum flumine ita tractare & exornare, ut difficultas textui adempta Hæreticorum petulantia prostrata, Resipiscentium pietas excitatior reddita, & afflictis vulneratisq; conscientijs suavissimum & consolationis plenissimum remedium applicatum, conspiciatur.

*D. Luthero  
Methodus Heroica  
usitata  
fuit.*

Errant igitur turpiter, qui sanctissimum Reverendi patris laborem, juxta artium regulas examinare, aut quia istis



accommodari non potest, odiosè exagitare non abhorrescunt, cùm certum sit, Lutherum non ex arte, sed ex spiritu locutum, & Heroicum ipsius motum longè supra vulgarem captum collocandum esse.

Non ubivis & semper.] Hæc determinatio meritò additur. Non enim putandum est, Venerandum Patrem & summum illum Theologum, præceptorum Retheoricorum ignarum fuisse, & semper à dispositione & oratoria tractatione sive discreta traditione abhorruisse; siquidem quamplurimæ conciones, præsertim illæ, quas Postilla Ecclesiastica complectitur, diversum arguunt: Sed hoc tantùm innuimus, Spiritum Lutheri Heroicum, nonnunquam in homiliis domesticis & publicis, supra artium leges exuberasse, & ad eam sublimitatem contendisse, quam ipse Lutherus in iudicio de Erasmo Roterodamo, Tom latin. VViteb. II. fol. 424. mirificè commendat, inquiens: Potentior est veritas, quàm eloquentia: potior spiritus, quàm ingenium: major fides, quàm eruditio. II. Quod si post D. Lutherum quispiam alius ejusmodi sermonis genere & Heroicà Methodo usus dici potest D. Ioachimus Mörlinus erit. De eo enim D. D. Polycarpus Lyserus scribit

*Ars utrū  
Spiritum  
superet,  
aut con-  
tra.  
D. Ioa-  
chimus  
Mörbling  
quo ge-  
nero di-  
cendi sit  
usus.*

in re.



in responsione ad Examen Huberi, pag. 30. Vix fuit Theologus superiori tempore, qui D. Luthero, spiritu, doctrinà, zelo & stylo ita conformis esset, ac Mörlinus. Et in vita celeberrimi Theologi D. Martini Chemnicij, de illo, Auctore M. Iohanne Gasmero Ecclesiæ Brunswicensis olim Ministro, sequentia commemorantur: Mörlinus eximia quidem pro concione docendi dona habuit, & quocunq; voluit animos Auditorum flectere potuit: singularis tamen in eo Spiritus erat, qui se certis artium limitibus circumscribi non passus, sed liberrimè vagatus fuit.

### C A P U T III.

*In hoc capite ex VII. Tomo operum D. Lutheri, VVittebergensi. fol. 285. & seqq. Exemplum sermonis Theandrici affertur.*

SERMO D. MARTINI LUTHERI  
de septem paribus, Domin. VII. post  
Trinitatis, Marci 8.

**S**pero, Charissimi Amici, hujus Evangelij sensum vobis minimè obscurum videri: Satis enim altas radices in his mysterijs intellectus vester jam egit

A 5

ut pro



ut proclive vobis sit deprehendere, quid operæ precij ex hoc Evangelio expectandum sit, quidque in eo nobis præscribatur, nempe germana fidei indoles ac natura. Atque hæc causa est, cur apud omnes Evangeligraphos tantâ humanitate præditus Christus nobis proponatur. Quanquam enim gesta & facinorosa ab eis descripta subindè variant: ipsa tamen fidei simplicitas sui semper similis manet. Porro hoc Evangelium tam artificii penicillo Christum nobis suis coloribus exprimit, ut omninò cuivis nostrum perspicuum esse possit, quid de ipso nobis promittere debeamus, videlicet hæc: Eum esse misericordem, mitem, obvium & expositum omnibus, nemini ad se confugiendi non patentem. Talem eiconam fides sibi prostituere debet. Duplicem igitur imaginem scriptura nobis præfigit. Unam timoris, quæ horrendam DEI iram oculis nostris repræsentet, coram qua subsistere nemo possit, quin potius eâ conspectâ, desperandum erit, nisi fide muniti erimus. Huic verò oppositum est alterum simulacrum, gratiæ videlicet, quod fides inconniventibus oculis adspectet,

*Christi  
imago  
duplex  
in scriptura  
proponitur.*



spectet, hincque sibi in ærumnis solatij elementa hauriat, atque fiduciam in Dei benevolentiam concipiat. Hac quidem spe ut homo à DEO non tantum bonorum sibi promittere audeat, quin in infinitum plus illuc sibi opum in promptu esse credat.

Per sæpè jam audivistis duplicia esse bona, spiritualia & carnalia. Evangelion per precaria hæc & corporalia bona, nos puerorum fidem docet, suntque ea infirmis quasi picta quædam imago, unde discere queant DEI bonitatem, quàm scilicet in nos divitiarum suarum profusus sit. Simul atque enim jam per Evangelium instructi sumus, quomodo DEUS ventrem nutrire velit, ex hoc reputare nobiscum possumus, Eum etiam animæ nostræ spirituales cibos ac vestes suppeditaturum. Quod si corpus meum ei concedere, ut id pascat, diffido, quantò minùs animam meam perpetuò Ei sustentandam committere potero? Aut si adduci nequeo, ut aureum mihi ab Eo donatum iri credam; quì, quæso, decem aureos ab Eo spera- vero? A quo mihi non vel panis frustum promittere ausim, ab illo profectò mul-

*Bona  
sunt du-  
plicia.*

tò mi.



tò minùs prædium, aut totam adeò hæreditatem mihi legatum iri, animum inducam credere. Jam qui hanc tenellam, & velut adhuc lactentem fidem apprehendere nequit, huic certè factu admodum difficile erit, ut DEUM peccata sibi condonaturum credat, ut animam in æternum servaturum. Quam persuasum habeamus, animam infinitis partibus potiorrem esse aqualiculo, erga quem tamen misericordiâ afficitur, ut hodiernum Evangelion nos docet.

Quapropter D. Petrus 1. Epist. 2. rectè monuit: Dilecti fratres, ut recens editi infantes, appetite lac, non corporis, sed animi, quod doli mali expers sit, atque in eo subolefcatis. Neque enim satis est, infantem uberi admotum lac sugere, sed eum etiam grandescere, & robur colligere oportet, ut & pane & solidiore cibo vesci paulatim assuescat. Nam lac esitare, est divini favoris & gratiæ gustum facere. Porro gustare DEI in nos propensionem, est ejus in vivendo periculum facere. Quanquam enim vel centum annos DEI in nos proclivitatem & mitem clementiam, plenis, quod ajunt, tibiis prædicem, nil mihi

profu-



profuturum est, nisi ipse specimen & gustum earum commoditatum capiam. Atq; hinc discitur sincera in Christum fiducia. Ex hoc etiam facilè conjicere poteris, quàm rara avis sit Christianus.

Complures sanè reperiās, qui ventrem suum Deo committant: atqui hoc in summa tantùm sãiva ac labris natat, residetq; in claviculata illa aurium parte cum potiùs in specuosos pectoris recessus sese recipere debeat.

Consideremus nunc exemplum, fidei ingenium ac naturam nos docens: Apostolus ad Hebræos cap. ii. sic scriptum reliquit: Fides, inquit, fundamentum est cui innitimur, eas res sperando, quæ non videntur, hoc est, ut bonum aliquod expectem, quod nec oculis usurpare, nec auribus percipere possum, tantùm mihi spes ejus fovenda est, id quod etiam in hodierno Evangelio accidit. Hic circiter quatuor millia virorum fuerant, qui unà cum uxoribus & liberis suis, triduanam jam famem sustinuerant, (annón hoc egregium jejunium fuit?) esurie tantùm non enecti, ab ædibus luculento interstitio remoti, iisque præfidiis, quibus corpus sustentatur,

*Fides est  
verum  
invisibi-  
lium.*

priva-



privati. Jam Paulus dicit, fidem ejusmodi rem esse, quã subnixus quispiam, ea bona speret, quæ oculis non subjiciuntur. Talem fidem hîc turbæ habent, quæ nullum vident com meatum, nihilo seciùs tamen DEO fidunt, quòd eas pasturus sit.

Porro quid Christus agit? Oportet sanè eum alto prudentiæ sulco niti. Quippè Apostolos accedit, & quærit, quo illi pascendi sint. Respondent discipuli: Unde tantam populi vim quis satiare panibus in solitudine poterit? Hîc videtis, quomodo humana ratio & fides inter se collidantur, ut quo altiùs sapiat ratio, eo minùs se DEI operibus submittere possit. Hac igitur de causa discipulos interrogavit, ut quilibet suam ipsius rationem excuteret, ac disceret, quanto intervallo humanus captus & fides inter se dissultarent. Hîc nobis innotescit, quomodo ratio excœcetur, & quomodo adventante fide eam facefferre oporteat. Sit hoc exempli vice: Si maritus essem, uxorem & liberorum examen habens, nihil autem mihi, unde illos alerem, suppeteret, neque quisquam aliquid impartiret: iam meum esset,

crede-

*Fides &  
ratio hu-  
mana lu-  
ciantur  
inter se.*



credere ac sperare, Deum mihi prospere-  
 cturum. Verum cum video spem meam  
 evanidam esse, nec statim cibos & ve-  
 stes suggeri, hic ego, quia nullius fidei  
 morio sum, desperationi succumbo. Po-  
 stea ad inhonestas artes, ut rem faciam,  
 animum appello, utpote ad furtum, im-  
 posturas, & id genus alias technas, queis  
 hominum ora sublini consueverunt,  
 vitæ meæ curriculum: quocunque modo  
 possum, perrumpens. Vide quid foeda  
 incredulitas homini conciliet. Sin au-  
 tem fide imbutus sum, clausis oculis di-  
 co: Mitissime pater, tua creatura ego  
 sum, tuumque opus, negari non potest,  
 quin me crearis, omnes spes meas in te  
 figam, qui plus meorum commodo-  
 rum satagis, quam Ego ipse: in procli-  
 vi tibi est, ut me quamlibet ad incita-  
 tem redactum, pascas, vestias, ac per o-  
 mnem vitam sufficienti viatico instruas, &  
 adminiculo sis.

Sic ipsa fides, solidum est fundamen-  
 tum, quo nixus, expecto ea, quæ non  
 video, atque ut semel dicam, necessariis  
 non destituetur. Equidem ipsos Ange-  
 los de cælo labi oporteret, & vel ex ter-  
 ra, panes effossos impartire, ne inediâ

*Fidei ef-  
 fecta.*

con fi



conficeretur homo, tum robustæ fidei præsidiiis fultus: atque adeo cœlum & terra citius intercident, quàm ut hujusmodi fiduciâ præditum, DEUS vestium aut aliorum, quorum indiget usus, difficultate laborare permittat. Hanc heroicam in DEUM fiduciam, adamantinæ & irrevocabiles divini verbi promissiones exigunt. Quod si rationem tuam in consilium adhibeas, mox & illa, ut supra Apostoli, ita ogganniet: impossibile hoc est. Tum illud: per diu tibi desiderandum erit, ut anas affata in os tibi volitet. Nihil enim visui aut tactui ejus objectum est, omnia vacua esse videt. Paris diffidentia Apostoli quoque erant, illi secum cogitabant: Qui fieri posset, ut tanta hominum multitudo cibis reficeretur? Si nummorum acervum in promptu vidissent, & panes, si lanienas carne cumulatas, præsentis huic necessitati facile quidem consulissent, bonam spem omnibus incussissent, appositeque pro suæ rationis captu, omnia disposuissent.

*Fides  
quid possit  
in obtinendis  
spiritualibus  
bonis.*

Atque hæc de fide temporalium bonorum dicta hæctenus sunt: nunc de spiritualibus bonis, quibus morituros

suffar-



suffarcinatos esse oportet, differemus.

Hic verò seculis nostris objiciet mors, cum vivere mallems : infernus apparebit, cum coelum magis desideremus : judicium DEI occurret ; quanquam ipsius gratia nobis gratior esset. In summa quicquid videre optarems, conspectui nostro subducetur, adeoque nulla creatura adversus mortem, inferos, Deique judicium auxiliares manus porrectura est. Cæterum quum credo, si me ipsum compello : Eja, inconcussi fundamenti est fides : hac suffultus, ea quæ ab oculis remotissima sunt : assequar ; & quæ visu observantur, quamlibet horrenda sint, tamen credenti haudquam incommodabunt. Quanquam igitur nihil obtutu meo in præsens complectar, quàm mortem, inferos atque judicium DEI horum tamen nihil mihi intuendum est : sed potius indubitata fiducia animus meus confirmandus erit : DEVM virtute promissionis suæ, non meritorum aut operum meorum respectu, felicitatem ac gratiam mihi donaturum. Hoc demum est sinceram fiduciam DEO adherere, id quod hic affabre depictum est, in crassa hac & cor-

B

pora-



porali hominum, quatuor chiliadas numero exæquantium, imagine, qui DEO fide tantum affixi, nihil dubitabant, se ab eo refocillatum iri. Si juxta rationis suæ modulum judicassent, inter se mussitantes dixissent: Certè numerosa admodum multitudo sumus, in vasta solitudine agimus, stomachum inanem ac jejunum habemus, nihil eum hîc saturare poterit. Horum nihil obmurmurant, sed certâ fiducia conceptâ nihil contra DEUM humano affectu disputantes, sese totos divinæ benevolentiae dedunt, eique urgentem hanc famis necessitatem, securi omnium, committunt.

Tum verò DEUS, priusquam ipsos cura hæc occupet, & antequam petere ab eo instent, adest, magis sollicitus pro eis, quàm ipsimet pro sese; ac si dicit: Misericordiâ afficior erga turbam: si dimisero eos jejunos, periculum est, ne inter vias deficient. Vide, quæso, quàm beneficiorum in nos prodigum DEUM habeamus, cui etiam curæ est, immundum ventrem alere. Hinc jam spes erigitur, & homini CHRISTI verba consolabilia sunt, cum dicit: illi hîc jacent prostrati, jam triduo apud me ma-

nentes,



nentes, oportet ut & ipsi à me faturi ab-  
eant. Hinc videre est, omnes qui DEI  
verbo sedulò adhærent, ab ipsomet DEO  
pasci: hæc enim vis & indoles est fidei,  
ex verbo DEI manantis.

Quocirca, charissimi, & nos tandem  
credere incipiamus. Sola enim incre-  
dulitas mater est omnium peccatorum  
ac scelerum, quæ hodie in omnibus o-  
mnium hominum ordinibus regnant.  
Quî sit, ut ubique quò quò evertas, tot  
meretrices ac scortatores, tanta impo-  
storum ac batalorum copia, tot fures,  
prædones, fceneratores, latrones, Simo-  
niaci & sacerdotiorum mercatores, oc-  
currant? Hos omnes diffidentia in DE-  
UM nobis parit: quippe hujus notæ ho-  
mines, solummodò juxta humanam ra-  
tionem Judicant: ratio verò illud, quod  
præfens, adspicit: quod autem oculis  
ejus subtractum est, illud capere non  
potest: quapropter dum non per fidem  
in DEUM fiduciam suam reponit, in se-  
ipso ei desperandum est, ex qua despe-  
ratione postea id genus nebulones no-  
bis emergunt. Ecce sic in transversum a-  
gimur, ubi non fidei, sed rationi nostræ,  
moderandi nos habenas committimus.

*Incredu-  
litas sola  
mater  
omnium  
peccato-  
rum.*



*Charita-  
tis exem-  
plum  
Christus  
est.*

Porro ut jam fidem didicistis, sic & charitas condiscenda erit. Christus enim nobis gemino simulacro proponitur: altero quidem fidei, ne nimium solliciti simus: altero autem dilectionis, quo discamus, ut sicut ipse pro nobis curam gerit, cibum, potum, vestes supeditando, idque ex mera & liberali charitate, non ut hinc suis compendijs studeat: aut nostris meritis hæc rependat: ita & nos proximum nostrum beneficijs afficere debemus, atque id gratuito, solâ charitate ad hoc nos instigante. Et omninò qualis erga te Christus est, eundem ad modum tu quoque proximo tuo Christus sis. Ex illo jam cognoscere licet, omnia Monachorum & Monacharum opera irrita simul ac damnata esse, cum non in eum scopum dirigantur, ut proximo illis inserviant sed eò tantùm destinentur, ut ijs DEVM ampliter demereantur. Christianorum siquidem opera, quibus DEO gratificari voluerint, sic fieri convenit, ut in proximi emolumentum cedant, non in eum finem, ut hisce apud Deum multa mereri adornent. In medium liberali dextra prodigenda sunt, & velut direptui

expo-



exponenda, quemadmodum & DEUS  
fecit, qui doctrinam suam, verbum ac  
vitam, in promiscuam multitudinem  
sparsit, gratisque impendit. Beati qui hoc  
donum grato animo amplectuntur. At-  
que hæc ob id dico, ut videatis omnia  
Evangelia eò spectare, hoc unum urgere,  
DEUM etiam illud in primis exigere,  
nempe ut nos totos in proximi usum  
effundamus, seque pro DEO habeamus.  
Sicut Propheta 50. Psalmo inquit: Audi  
Israël, ego sum DEUS tuus. Non in sa-  
crificiis tuis arguam te, quæcunque enim  
habes, aut offerre mihi paras, prius  
mea sunt, omnes feræ in sylvis & monti-  
bus errantes, jam antea meæ sunt. An  
putas me taurorum carnes manducatu-  
rum, aut hircinæ sanguinem bibitu-  
rum? &c. Sic & nobis dicit: Ecce Is-  
raël, ego tibi DEUS sum, non tu mihi:  
Ego tibi dabo, tu autem nihil poteris  
mihi largiri: Audi Israël, non succense-  
bo tibi, quod non multis sacrificiis me  
oneras; quicquid enim in stabulo, aut in  
ædium tuarum septis continetur, me-  
um est, à me prius hæc omnia stabulis  
tuis immissa sunt. Hic verò Iudæos per-  
strinxit, qui sacrificiis suis mirè sibi pla-

B 3

cebant.



cebant. Nunc quia sacrificia hæc rejicit, quid in eorum vicem substitui vult? Hoc ipsum nimirum, quod apud eundem Prophetam sequitur: Immola mihi laudem & vota tua, &c. Hoc est, cor tuum habere volo, mihi devoveas, pro clementi & propitio, atque adeò pro tuo DEO me amplectaris, & abundè satis mihi factum erit. Proinde in fiducia & spe fidem tuam serves, pro indulgente DEO eum habeas, ipsi uni adhæreas, & in extremis periculis, tanquam ad sacram anchoram ad eum confugias. Crede, aleam ipso fretus jace, sustine & indubitatò tibi aderit. Hoc postea quam præstiteris, proximo etiam tuo libero animo, & gratis inservias. Crede inquam, Deoq; te committe, eius auxilium defecatâ mente expectans, & adjuvabit te. Veritas DEI æternùm sibi constabit, Psalm. 115.

#### C A P U T IV.

*Hoc capite specimen sermonis & styli Heroici, quo D. Ioachimus Mörlinus divinitus dotatus fuit, traditur.*

D. Ioachimus Mörlinus Episcopus Sambiensis in Borussia, & ante Doct. Chem-



Chemnicium Ecclesiarum Reipubl. Brunsvicensis Superattendens, doctrinæ per Lutherum repurgatæ fidelis custos, in hoc dicendi genere Heroico; quàm potens fuerit, ex Postilla quidem posthuma & commentario in Psalmos Davidis gravissimo, potissimum liquet: attamen cum sequens epistola argumentum esse queat, ex quo reliquorum scriptorum & dictorum sapor æstimandus veniat, placuit illam exempli loco adferre.

Sic autem scripsit ille ad Dn. Eilardum Segepodium, tum temporis Superintendentem Peinensem, in aulam postmodum Cellensem ad Concionaturam vocatum.

Gratiam & pacem per Christum, per Christum inquam, qui peccatum, qui legem accusatricem, multo magis bestiolam illam, quæ pestis dicitur, & illis infinitis modis inferior est, devicit. Quare igitur tam es meticulosus, chare frater, ad hanc auram levissimam, quæ neminem lædit, nulli ne crinem quidem capitis movet sine illo, in quem non credimus solum (quod scimus quàm sit infirmum) sed qui nos totos apprehendit,

*Pestis formidini quæ consolatio sit opponenda.*

B 4

& non



& non solum in tutelam suam extra sese, sed in semetipsum recepit, totus in totum. Ipse est vita tua & longitudo dierum tuorum, quem tu annuncias, cujus tu vicem agis, non sicut abominanda illa Romana bestia, sed quemadmodum ab initio mundi firmis & infirmis pro ministris usus est. So last doch den Teuffel schrecken / schmeist ihm ins Maul mit seiner Pestilentz. Numerus dierum tuorum scriptus est, antequam concepereris in utero matris tuæ; hunc hunc numerum non turbabit pestis, non Satan virulentus, sed ne quidem omnes Inferorum portæ. Super Leonem & aspidem ambula- bis, dixit ille, quis? Ist es der Papisten Gott? Ist es der Epicurischen Welt ihr Gott? Nunquid mentitur Deus noster? Liberabo eum, inquit, protegam eum, quem? Nunquid, qui solidâ fide & magnâ fiduciâ hæc apprehendit? Desiderium tamen habet, inquit Deus, tamen novit nomen meum. Ist dem frommen Gott daran genug? Warumb ist denn uns nicht genug daran? Estne infirmitas nostra supra DEUM? Vide quomodo nos fabulis suis & bullis inflatis bullifet Satan, totus nil nisi bulla, crepans ventos,

quos



quos Dominus Redemptor, Justificator, Salvator, imò justitia, salus & redemptio nostra absolutissima, uno verbulo increpans compescit. Wolt ihr euch wünschen / daß keine pestis, keine Plage käme? Quid igitur mundo comminatus es ex DEI verbo? Last derwegen gehen / lieber Herr Eilardt / vnd die Welt mit Pestilentz geschlagen werden / so gros als Essigkrüge / tua est vocatio, procedere in medium: die ex ore Christi, non carnis ( ut perditus mundus securè facit in perniciem suam ) ubi mors? ubi pestis? ubi Diabolus? hic ego sum, infirmus quidem, ideò capiens refugium ad illum, qui robur est, & infirmitas contra omnes molitiones & astutias, & potestates tenebrarum, Vnd gehet nur dem Teuffel zu trotz frey heraus / ubi vocatio & necessitas proximi requirit. Deus pestem immittit, non pestis Deum pro suo arbitrio. Der fromme Gott ist vnser: ideò dicitur, Deus noster, Vnd er ist auch vnser / ita ut voluntatem timentium se faciat. Ego me quotidie humiliter ad ipsius pedes proster-no. Wil er mich haben / so weis ich wo ich hin sol / vnd ist der Himmel mein / mein / mein / denn Christus ist mein / wenn ich auch



tausent mal viel schwächer were/ut eminentia gloriae sit ipsius. Si vult me servare Ecclesiae, non recuso laborem. Dencket an mich/ Nimbt vns Gott hinweg/ O wehe der Welt/ denn also wird ohne zweiffel der Teuffel gantz vnd gar nach vns regieren/ wer wolte dann gerne leben? Saepe cogito illud. Iudic. 2. Da auch alle die / so zu der zeit gelebet haben / zu ihren Vätern versamlet wurden/ kam nach inen ein ander Geschlecht/ ic. Vide Lutherum ex Hebraeo. Haec scribo bono & fraterno animo. Denn ihr send mir lieb / quia Christus charus es; is te servet. Vnd trotz dem scheissigen Pestilenz Teuffel / der weis wol / auff welche er vnd sein schlagender Engel bestellet ist. Postes nostrae sunt signatae sanguine, cuius? Is te fervet iterum & in sempiternum, Amen. Ex Brunsviga, 22. Februarij, Anno 1566.

T. Ioachimus Mörlin

Doctor.

*Videt pius & candidus Lector, hanc epistolam non ingeniosè excogitatam, neq; ad Sadoleti, Mureti aut Criticorum limam adhibitam esse: Sed Spiritum Dei vim suam in Autore tam potenter exercuisse, ut is sub exiguo verborum numero,*

*mero,*



mero, ingentia rerum pondera, & propemodum omnes totius sacrae scripturae locos, reconderit, atq; non solum Amicum, specialiter compellatum, in ærumnis consolari, eumq; ad animositatem excitare: sed etiam in omnium piâ attentione scriptum legentium mentibus, aculeos relinquere potuerit.

## C A P U T V.

*Hoc caput brevissimè agit de Methodi Heroica imitatione.*

Imitatio Methodi Heroicæ negatur, & ubi aliqua in Aliquibus ex κακοζηλία se ostendat, improbatur. Quemadmodum enim facta Sanctorum Heroica vulgaribus hominibus ad exemplum & imitationem in scripturis non sunt proposita: Sic Magnorum virorum orationes Heroicæ naturis vulgaribus, spiritu peculiari destitutis, sed potius regulis artium dicendi nitentibus, æquè inimitabiles sunt, ac si puer tenellus grandes cujusdam Gigantis calceos induere vellet. Licèt autem scripta aurea D. Lutheri, imitationis oratoricæ verbotenus captandæ causâ, non sint proposita: tamen propter alios fines, nunquam satis commendatos, videlicet sapientiæ Theolo-

---

gicæ



gica comparationem, & Spiritus ex-  
 scitationem, aliosque quamplurimos, di-  
 ligentissimè legenda esse, nemo bonus  
 dubitat. De hac re extat gravis admonitio  
 Reverendi & facundissimi Theologi M. Ioh. Mat-  
 thesij, in historia Lutheri, pag. 70. a. ubi dici-  
 tur: *Mancher hat zu vnsern Zeiten diesem  
 Wagen vnd Reuter Israelis (D. Luthero)  
 nachsetzen wollen: Aber er ist besteket. Dar-  
 umb last vns nach der Regul handeln. Vnd  
 da etliche von der Regul geschritten seyn/vnd  
 habens gleichwol hinaus geführet/Lasset vns  
 lieber vber grosse vnd Wunderleute verwun-  
 dern/vñ nicht ihre Wunderthaten calumni-  
 ren* Huc quadrat Distichon, quod D. Nicolao Sel-  
 neccero adscribitur:

*Alta sapit vulgus; vult quilibet esse Lutherus:  
 Res non succedet frivola turba tibi.*

*Memini me Anno 1583. & seqq. VViteberga  
 interdum conciones absq; propositionibus sive do-  
 cilitate Rhetorica, ex Venerando sene & eximio  
 Theologo D. Iohanne Matthæo Smalcaldense, au-  
 divisse, quas studiosi quidam Apostolicas voca-  
 bant, dicentes, D. Matthæus hat heute einmal  
 apostolirt. Sed si ego, tum temporis adolescens, re-  
 ctè memini, propiùs accesserunt illæ conciones ad  
 paraphrasin minùs distributam, quam ad filum  
 Heroicum aut Apostolicum. Ideò non statim He-  
 roicum est statuendum, quod est ἀπὸ τοῦ εὐκρίτου.*



LIBER SE-  
CVNDVS,

DE METHODO CON-  
CIONANDI PARAPHRASTICA,

**H**ic liber novem absolvitur capitibus. Primum Methodum Paraphrasticam describit: Septem sequentia in quinque partium explicatione occupantur: ultimum autem paradigma quoddam concionis, ad presentem methodum efformatae, affert,

CAPUT I.

*Hoc caput Methodi Paraphrasticae, 1. Definitionem: 2. Practicos, & 3. Partes breviter indicat.*

I. Methodus paraphrastica est ratio concionandi nunc usitatissima, in qua post propositionem textus resolvitur, & verba ac phrasae obscuriores, perspicua circumlocutione explanantur, annexis Locis & Doctrinis, quae in auditorum usum ut plurimum sese offerre videntur.

II. Hoc genus in Ecclesia docendi, Wirtebergensibus Theologis ferè primum fuit in usu, licet cum discrimine

quodam



quodam. Nam Aliqui Eorum particulam etiam minimam textûs paraphrasi reddunt, & ne tardiùs ad Locorum Communium tractationem pervenire videantur, doctrinam statim annectunt, quod à Dn. Brentio & D. Luca Osian-dro factum fuisse animadvertimus: Aliqui autem singularum partium propositarum paraphrasin & explicationem texunt, & singulis suos Locos communes subjungunt; quod fieri Methodus D. Jacobî Andreae, & D. Aegidij Hunnij flagitat. Postmodum ad hanc concionandi viam etiam Alij, qui aut commemoratos præclaros viros audiverunt, aut Eorum scripta legerunt, pervenere.

III. Continet autem concio secundùm hanc Methodum formata, quinque partes: 1. Exordij præmissionem: 2. Textûs partitionem, & propositionem. 3. Eiusdem textus explicationem: 4. Locorum communium, sive doctrinarum extractionem: 5. Conclusionem.

## CAPUT II.

### DE EXORDIO.

*Hoc capite variae exordiorum rationes & forma exponuntur.*

Exor-



Exordia commodè instituuntur, pro varietate, octo modis.

I. Summam prælecti Textus proponendo. *Vt D. Hunnius super Evangelium Iohann. 13. die viridium: Mirabilis hoc prælectio Evangelio historia nobis memoratur, quomodo æternus Filius Dei, propriis manibus suis, pedes discipulorum suorum lavare non erubuit. Quod abjectissimum opus ab altissimo Deo susceptum non modo nos Christiani suspicimus, sed Angeli quoque cælorum id meritò admirantur. Cum igitur hodierno die præsens hoc Evangelion in Ecclesia populariter explicetur, quippe quod passionis dominicæ historiæ pars quædam est. Nos habitâ ratione temporis id ipsum breviter enarrandum suscipiemus.*

Die viridium  
Evangelium Iohann. 13.

II. Textum in suas partes distribuendo. *Vt D. Hunnius super Evangelium Matth. 8. Dominica 3. post Epiphaniæ: Continet hoc Evangelium duo Salvatoris illustra miracula: alterum in homine Iudæo, alterum in gentili editum. De utroque igitur sigillatim acturi, videbimus primò, quomodo Christus hominem leprosum curavit: Deinde quomodo à Centurione compellatus, auxilium tandem tulerit.*

Domin.  
3. post  
Epiph.  
Evangelium  
Matth. 8.

III. Lectam pericopen cum tempore conferendo. *Vt D. Hunnius super Evangelium Festo Magorum: Hodiernus dies antiquitus Epi-*

Festo  
Magorum  
Evangelium  
Matth. 2.

phanie



phania seu revelationis festum in Ecclesia dicitur: que appellatio quam aptissime cum historia presentis Evangelij quadrat.

IV. Textum ad Catechismi capita referendo. Hoc genus exordiorum D. Simoni Museo familiare fuit. Exemplo sit frontispicium concionis super Evangelium Luc. 14. Domin. 17. post Trinitatis: Præsens Evangelium pertinet ad Catechismum, partim ad 3. præceptum, propter apologiam Christi, asserentis contra Pharisæum, sanatione Hydropici sabbathum non violatum; sed potius sanctificatum esse: partim ad primum præceptum, ab adhortatione ad humilitatem, superbie oppositam.

V. Occasionem recitati textus repetendo. Ut D. Hunnius super Epistolam ad Gal. 5. Dom. 14. post Trinitatis: Superioribus capitibus huius epistolæ ad Galatas, diseruit Apostolus de gratuita hominis coram D E O iustificatione, & libertate Christiana graviter asserenda. Iam ne quis illam prerogativam de carnali licentia peccandi interpretetur, subiungit Paulus doctrinam de studio bonorum operum, ad quam etiam hæc recitata pericope refertur:

VI. Præsentem concionem cum antecedente connectendo. Ut D. Hunnius super Evangelium Matth. 15. Domin. Reminiscere: Audivimus præcedente Dominica Matth. 4. quo-

modo

Domin.  
17. post  
Tr. Luc.  
10.

Domin.  
14. post  
Trinit.  
Epist.  
Gal. 5.

Domin.  
Reminis.  
Mat. 15.



modò Salvator in deserto tentatus sit à Satana, illum verò gloriose debellavit & devicerit. Nunc audiemus, quomodò immortalem illum hostem humani generis Christus etiam in hominibus vincat, & homines ex ipsius potestate vindicet ac eruat. Quòd in filia mulieris Cananæ, quam à Satana liberavit, perspicue testatum fecit.

VII. Thesis ad hypothesein transferendo. Est autem thesis Oratoribus quæstio sive sententia universalis & infinita, quæ absque temporum, locorum & personarum commemoratione, enunciatur. Hypothesis verò est causa specialis & finita certis locis, temporibus & personis applicata. Exempli gratia: Conjugium Deo gratum atque probatum, & festivitates matrimonij causa celebratas, licitas esse, est Thesis: Historia autem de nuptiis in Cana Galilææ, & Christi ornantis cum discipulis nuptialem solennitatem præsentia, Iohan. 2. hypothesis est. Item: Mundum ab eterno non extitisse, sed in tempore cœpisse, & à solo D E O factum esse, est thesis: Narratio autem Genes. 1. In principio creavit Deus, &c. est hypothesis.

Dom. 2.  
post Epi-  
phan.  
Job. 1.

Transfertur autem thesis ad hypothesein quadrupliciter:

1. Per Biblicam sententiam. Sic orditur D. Hunnius à dicto scripturæ, in Evangelio

C

Matth.



Domin.  
intra  
Fest. Cir-  
cumcis.  
& Mago-  
rū Mat. 2

Matth. 2. intra festa Circumcisionis & Epiphani-  
nias: Quod Genes. 3. in Paradiso ad serpentem  
est dictum, Inimicitias ponam inter te & mulie-  
rem, inter semen tuum & semen illius, & ipsum  
conteret caput tuum, tu verò insidiaberis calcaneo  
illius: Id Salvator Dominus non in adulta de-  
mum etate, sed primà statim infantia luculenter  
est expertus. Etenim cum natus esset ad dissol-  
vendam opera Diaboli, & caput ipsius calcan-  
dum, in quæ pericula & calamitates vicissim  
immortalis ille hostis Diabolus hunc puerum Je-  
sum demergere non moliebatur? Equidem præ-  
sens Evangelium satis superq; docet, ad quantum  
odium adversus Christum inflammavit manci-  
pium suum Herodem, ut comprehendendi huius  
pueri gratiâ, non dubitârit abjuratâ omni huma-  
nitate, in innocentissimos pueros Bethlehemi-  
cos sine ulla misericordia sevire; si forte hunc in-  
fantem puerum, cujus causa hanc lanienam sus-  
ceperat, è rebus humanis tollere posset, &c.

Domin.  
Miseri-  
cordias  
Iob. 10.  
Christi.  
Φιλαν-  
θρωπία  
variis no-  
minib. est  
depicta.

2. Per enunciati Theologici præemi-  
nentiam. Vt D. Hunnius super Evangelium  
Iohan. 10. Domin. Misericordias Domini: Variis  
modis & rationibus Φιλανθρωπία suam nobis  
sancit & confirmavit Salvator Christus in Evan-  
gelio. Interdum enim dulcissimis promissionibus:  
nonnunquam verbo annexis sigillis seu Sacramen-  
tis: haud raro juramenti attestazione illam nobis

confir-



confirmat & declarat: interdum etiam elegantissimis parabolis suam in nos ineffabilem bonitatem, velut in tabula depictam proponit. Sicut autem omnes illæ rationes ad excitandam in piolorum mentibus consolationem accommodatæ sunt: ita inprimis quoque parabole illæ ac similitudines Evangelicæ singularem quandam, tacitamq; vim obtinent, nostram fidem in Christum egregie confirmandi. Ut reliquas hic præteream, quid suavius dici potest, quàm quod in hodierno Evangelio se Pastori bono assimilat?

**OBSERVATIO.** Videndum hoc loco est, ut thesis Exordij loco præmissa, generalis sit, respectu specialium Locorum communium subsequutorum. Non enim consultum est, ejusmodi locum & thesin præfigere, qui postmodum in Doctrinis recurrat. Nec refert, quod quidam prætendunt, se illum locum specialem, in primordio orationis positum, suo loco præterire posse. Si enim locus est primarius, non potest inferius negligi: si secundarius, nihil attentionis materiæ pertractandæ in vestibulo conciliat. Hujus qualitatis est Exordium jamjam positum. Prædicat enim vim & jucunditatem parabolarum Evangelicarum in



genere; dehinc ad commendationem specialis similitudinis descensus fit.

Super 6.  
Psal. D.  
Gesner.

Tryzi  
Tyrannis  
& interitus, ex  
Aeli.

3. Per historiae convenientiam. Vt D. Salomon Gesnerus in concione super 6. Psalmum, insertâ nobili Psalterij Commentario: Legimus in historicis Ethnicorum de quodam Tyranno, qui Tryzus vocabatur. Is volens omnes conjurationum & insidiarum contra se vias intercludere, legem suæ regionis incolis posuit, ut nemo cum altero, neq; privatim, neq; publicè sermones misceret: quod valdè intolerabile erat. Itaque dolo Tyranni mandatum eluserunt, & oculorum manuumq; gestibus & nutu, animi sensa mutuo significabant & accipiebant. Aliàs igitur acerbo vultu sese invicem intuebantur, aliàs placato, facieq; læta: atque ex uniuscuiusque superciliarum contractione perspicuum erat, eum tristem & intolerandum rerum statum indignè ferre, animi affectione per vultum ei, cum quo erat, declaratâ & ostensâ. Sed hæc etiam Tyrannum commovebant, quòd existimaret, silentium quoq; propter varietatem gestuum & commutationem vultus prorsus mali quid sibi moliturum esse. Proinde etiam illud lege sustulit. Quidam itaq; desolationem illam ægrè molesteq; patiens, & cupiditate dissolvende tyrannidis permotus, in forum progressus est; ibi stans multum & fervidè lacrumatus est. Quem circumfistit confluens o-

mnis



nis multitudo, quibus etiam ipsis in fletum ac luctum erumpentibus, nuncium ad Tyrannum allatum est, neminem quidem nutibus uti, at lachrymas frequentes emitti; qui festinans, ut & illud prohiberet, neq; solum linguam, nutusq; servitute constringeret, sed etiam oculis à natura tributam libertatem eriperet, quantà potuit celeritate, pedes cum stipatoribus & satellitibus accurreret, ut lachrymas sedaret. At illi cum è longo vix eum vidissent, eripientes arma satellitibus, Tyrannum interfecerunt. Hanc historiam ( dicit D. Gesnerus ) quòd pro more Pauli, qui Athenis concionem à negotio gentili exorsus est, Act. 17. infero, nemo iustè mihi vitio vertet, cum ad materiam nostram propositam aptè quadret, & innuat, quanta miseria sit, multum pati & angì, & tamen animi dolorem omninò suppressere: Quis enim vestrùm est, quem non extrema hac iniquitas mordeat, quod Tyrannus iste subditos suos ferarum instar ἀλόγως reddere, imò etiam oculorum nutus & lachrymarum, per quas plerumq; dolor egeritur, profusiones inbibere voluerit? Longe secius Misericors & clementissimus Deus nobiscum agit, qui etiam in media sua ira tam propitius est, ut non modò querimonias & lamentationes permittat, sed etiam iniungat, illisq; mirum in modum delectetur. Cuius rei specimen nobis exhibetur in præfato 6. psalmo, &c.



OBSERVATIO. Ne quis mihi ob-  
 ciat, thesin in hoc exordiorum genere  
 primas non occupare, sed narratum esse  
 & ipsum hypothesein quandam; restri-  
 ctionis loco hanc Notam addo, Historias  
 in Exordiis non nudè & per se, sed ra-  
 tione finis, cujus gratiâ citantur, consi-  
 derari, illamq; finem per thesin ex nar-  
 ratione facti emergentem sese prodere;  
 ideò licet historica hypotheseis, thesin  
 suppeditet; tamen non hypothesein ad  
 thesin; (excepto tamen casû comparationis)  
 sed thesin ex historia ortam & ex-  
 tractam, ad hypothesein textus accom-  
 modandam esse. *Ut D. Moses Pflacherus su-  
 per Evangelium Matth. 6. Dominica 15. post  
 Trinitatis, orditur quidem ab historia apud Ro-  
 manos gesta, videlicet olim Catonem Censorum  
 seditionem, Romæ propter annonæ caritatem ex-  
 ortam, sedare voluisse, & in hæc verba erupisse:  
 Difficile est, Quirites, ad ventrem verba facere,  
 cum is auribus caret: Verum statim propositio-  
 nem, in ipso apophthegmate natam, texit & an-  
 nectit hoc modo: Difficultatem non minorem, ego  
 & omnes ij, qui de victus difficultate disserere vo-  
 lunt, experiuntur. Hoc igitur generale enuncia-  
 tum pro thesi, hypothesei adaptandâ, reputan-  
 dum est.*

Dom. 15.  
 post Tri-  
 nit.  
 Matth. 6

Fames  
 verbis  
 non se-  
 datur.

4. Per



4. Per proverbii attirentiam. *Vt D. Hunnius super Evangelium Iohan. 6. Dominica Lætare: Fertur trito & pervulgato proverbio: Bis aut ter, quod pulchrum est. Quo significatur, ea, quæ vel ad honestatem vitæ, vel morum pulchritudinem, vel animi recreationem, vel vitæ humanæ utilem aliquem ac salutarem finem spectant, posse ac debere citra tædium repeti & crebrius inculcari. Multò magis igitur crebrius ac multoties repetuntur, quæ pectus hominis ad religiosam illam pietatem informant, & de ijs rebus admonent, in quarum cognitione salutis nostræ prora & puppis consistit. Hinc videmus Spiritum sanctum Christi res inter hominum genus præclare gestas quasdam, non semel & in unius tantum, sed plurium Evangelistarum libris annotasse. Hodierni certè Evangelij historiam de quinque panibus & duobus piscibus, tam dignam memoratu censuit Spiritus Domini, ut eam non dubitârit quater repetere, & omnibus quatuor Evangelistis, Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. Ioh. 6. in calamus quasi dictare, &c.*

*Hæ quatuor rationes pertinent ad septimum Exordiorum modum: Sequitur nunc 8. & ultimus. Sumuntur enim Exordia*

VIII. Aptum simile adducendo. *Vt D. Hunnius super Evangelium Matth. 4. Dominica Invocavit: Quando periti pugiles seu Athletæ*

Dom.  
Lætare.  
Ioh. 6.

Domin.  
Invoca-  
vit  
Mat. 4.



*μνομαχία* decertare volunt, solent homines seduli admodum, cum rerum ac temporis iacturâ, ad visenda huiusmodi spectacula confluere, quantumvis præter inanem oblectationem nullus usus ad eos redeat: quantò verò avidioribus animis attendere convenit hoc præsens Evangelium, in quo prodire cernimus duos fortissimos Athletas & Antagonistas potentissimos, nempe Salvatorem Iesum Christum & Diabolum, &c.

OBSERVATIO. Positis hisce octo Exordiorum modis, non negantur alij. Nobis enim tantùm de usitatoribus sermo est.

### CAPUT III. DE PROPOSITIONE.

*Initiò quid inter partitionem & propositionem discriminis sit, indicatur: Deinde quatuor nota propositionis enumerantur.*

I. Textus partitio cum propositione in hac Methodo plerumq; congruit. Differunt tamen ab invicem in initialibus Biblicorum capitum concionibus, vel alijs perlongis Textibus, ubi concionator partes textûs singulas enumerat, & factâ præteritione, vel ad proximam re-

serva-



servatione, unam, duas, tres, aut plures tractandas suscipit.

1. Coniunguntur Partitio & Propositio, à D. Hunnio super Evangelium Matth. 11. Dominica 3. Adventus: Principiò narrat Mattheus, quam quæstionem Iohannes per discipulos suos Christo proponi curaverit. Secundo quid ad eam Christus responderit. Tertio quid vicissim Christi de Iohanne fuerit iudicium. De singulis iam dicendum.

Dominica 1. Adventus  
Mat. 11.

2. Disiunguntur eadem in sequenti exemplo. D. Philipus Gallus in homilia 1. super quartum caput Iona egyptiaca sic instituit: Ut itaq; explicatio huius capitis ordinè pertractetur, in duas primarias partes illud dividemus: I. est Indignatio Iona, quam ex pœnitentia & conservatione Ninivitarum contra misericordiam divinam concepit. II. Refutatio illius indignationis, quæ facta constans, hoc est, paternæ DEI reprehensio, qua Ionam peccati & erroris, verbo & signo convincit. Hac verò Homiliâ primam eius partem in nomine Christi inchoabimus, & de duobus breviter agemus:

Super 4. caput Iona  
na D.  
Gallus.

1. Quantum peccatum Ionas commisit, dum irascitur, Quod Deus peccatorum miseretur. 2. Quas rationes prætere, ijsq; excusare illam indignationem suam potueris: & quid utrinq; nobis discendum sit.



II Sunt autem in formanda propositione 4. observanda:

1. *Materiae qualitas.* In hac enim Methodo paraphrastica, non ut in sequenti Articulate, Loci doctrinarum explicandi designantur: sed diversi actus & circumstantiae, vel alia Textus accidentia proponuntur. *Exempli gratia: Adhibiturus Methodum Paraphrasticam ad explanandum Evangelium Dominica Oculi, non sic formabit propositionem; Dicam iam 1. de corporali Diaboli exagitatione. 2. de eiusdem spiritali obsessione. 3. de utriusque obsessionis preservatione. Hæ enim propositiones sunt doctrinales, ad Methodum Articulatam commodissime transferende: sed textualiter instituende erunt, ut sequitur: Agendum iam erit 1. de miracula Christi, eijcientis ex misero homine Satanam. 2. De vario spectatorum iudicio 3. de Christi apologia, & annexa comminatione.*

2. *Rei propositæ nuditas.* Non enim periphrasis, multò minùs ratio, aut scripturæ confirmatio, aut alius orationis ornatus in hoc concionis membro locum habet: sed tantùm brevissimè & simpliciter, perspicuè tamen indicatur, de qua re nunc sit differendum. *Vt in superiori exemplo, nimis lata esset propositio, &*

*naturam*

*Domin.  
Oculi, E-  
vangel.  
Lucæ 11.*

*Ead.  
Dom.  
Oculi,  
Luc. 11.*



naturam status ac Docilitatis excederet, si diceretur: Audiemus jam primò, quomodo Satanas per Christum sede suâ, id est, homine mutò & surdo, exturbatus, atq; illud in Iohanne 1. Epist. 3. comprobatum sit: In hoc apparuit filius Dei, ut destrueret opera Diaboli. Allegatum enim testimonium, suum locum, non in propositione: sed in Doctrinis habet.

3. Membrorum paucitas. Qui enim in tractanda una, aut gemina parte, acquiescere non potest, tertiam aut quartam, ad summum adungere, & nusquam ad plurium propositionum tractationem progredi debet, ne Lectoris memoria obruatur, vel attentio, propter obortum fastidium & impatientiam, dispellatur. Ut exempli gratia: Annon incommoda & importuna esset tractatio Evangelij mox præfati, ad sequentem modum proposita? Dicturi iam sumus 1. De variis muti & surdi miseris. 2. De miraculosa Christi cura & medela. 3. De diversis spectatoribus illius miraculi. 4. Cur princeps demoniorum Beelzebub sit vocatus. 5. An inter Iudæos exorcistæ fuerint, & quinaam. 6. Quid sub digito Dei, cuius Salvator meminit, sit intelligendum. 7. De palatio Satane & ejus destructione. 8. Quomodo loca in aquosa, in quibus Diabolus requiem non habere dicitur,

expo.

Ead. Do-  
minica  
Oculi,  
Luc. 11.



*exponantur. 9. Quid scopæ domum Sathanae mundantes, in textu significant. 10. Quid per septem nequiores spiritus Christus intelligat. 11. An mulier extollens vocem & servatorem collaudans, peccaverit. Ad tantum tot membrorum propositorum cumulum arripiendum, opus essent Auditoribus pugillares, qui tamen à maxima turbæ parte, ut pote Analphabetariâ, alienissimi sunt.*

4. Voti pro obtinenda gratia Divina pietas. Semper enim optandum, ut DEVS propositum nostrum, Spiritus sancti admittance juvare & beare velit.

CAPUT IV.  
DE TEXTVS EXPLI-  
CATIONE.

**H**Æc concionis pars Textum, quò ad sensum & verba difficilem, Auditoribus planum reddit, ac veram & genuinam Spiritus sancti mentem perspicuè & ordinè exponit.

Ut autem justa sit, sequentium Notarum observatione promovetur:

I. Distinctâ singularum partium, & à reliquis longè semotâ expositione. Non enim omnium partium paraphras  
sis ita



sis ita est connectenda, ut Doctrinæ in ultimum locum asserventur: sed potiùs prioris membri textu declarato, unicè videntum, ut Loci Communes primæ partis enodentur, priusquam ad secundæ partis paraphrasin perveniatur. Hæc regula non indiget demonstratione. Discollocatio enim illa partium evidens est apud plerosq; Interpretes, qui hanc Methodum sequuntur, præcipuè apud D. Hunnium, beatæ mem.

2. Occasionis ex verbis, Textum præcedentibus, enarratione. Ut D. Christophorus Cornerus super Evangelium Matth. 18. Dominic. 22. post Trinitatis; Cum Christus Suis quasdam leges condonandi delicta præscripsisset, & solvendi ligandiq; potestatem eis tradidisset, quæsivit ex ipso Petrus, quoties debeat fratri, in ipsum peccanti, offensas condonare, num septies tantum? Respondit ei Christus, non septies, sed septuagies septies, hoc est, semper fratrem delinquentem & resipiscentem esse in gratiam recipiendum & nos in remittendi officio non debere defatigari: ut verò doctrinam de condonandis delictis, tam Ministri Dei, quam alij privati recte intelligerent, pulchrâ parabolâ eam nobis proposuit, in qua, præter reliqua, insignis habetur collatio debitorum, quibus nos Deo, & alij nobis obli-

gati

Dom. 22.  
post Tri-  
nitat.  
Matt. 18.



gati sunt, & utriusq; remissionis, divinæ nimirum & humanæ.

3. In Evangelicis Textibus opus est diligenti omnium Evangelistarum collatione. Quia enim Evangeligraphi historias Evangelicas, alius breviter, alius prolixè describit, ex Harmonia D. Martini Chemnicij, per D. Polycarpum Lyserum continuata, vel Dn. Laurentii Codomanni, vel Andreae Osiandri consimilibus libris, quibus Diarium Bartholomæi Sculteti, & Vita Christi, per Doct. Georgium Wirth edita, accensentur, integer contextus inspiciendus, aut quilibet Evangelista in specie consulendus erit.

Dom. 4.  
post Epi-  
phan.  
Matt. 8.

1. Inspectionis Evangelistarum singularis exemplum habemus in explicatione D. Hunnij super Evangelium Matth. 8. Domini 4. post Epiphaniæ: Quando hæc historia de tempestatibus evenerit, tametsi ex Matthæi narratione haud proinde liquidò adverti potest: ex Marci tamen quarto capite perspicuum est, sub vesperam ejus diei, quo parabolam de quadruplici semine, unà cum quibusdam alio populo enarraverat, hanc à Christo navigationem esse susceptam.

2. Coagmentationis, ex Evangelistis, universalis, luculentum typum exhibet

D. Po-



D. Polycarpus Lyserus super Evangelium Domin.  
 24. post Trinitatis. Sic enim ille trium Evange-  
 listarum Textum conjunxit: Hæc cum Iesus illis  
 loqueretur, ecce venit vir, cui nomen Jairus, &  
 ipse princeps synagogæ erat, & cum vidisset eum,  
 procidit ad pedes Iesu, rogans eum, ut intraret  
 in domum suam, quoniam unica filia erat ei ferè  
 annorum duodecim, & hæc moriebatur. Et de-  
 precabatur eum multùm, dicens: Filiola mea in  
 extremis est, oro ut venias, & imponas illi ma-  
 nus, ut salva sit, & vivet. Et surgens Iesus se-  
 cutus est eum, ac discipuli illius, & sequebatur  
 illum turba multa. Verùm inter eundem, turbæ  
 coarctabant eum. Et ecce mulier quædam Hæ-  
 morrhousa, quæ fuerat obnoxia: profluvio sangui-  
 nis ab annis duodecim, fueratq; multa perpeffa à  
 compluribus Mædicis, & insumferat omnia sua,  
 neque quicquam adjumenti senserat, sed magis in-  
 deterius venerat; cum audisset de Iesu, venit in  
 turba à tergo, & tetigit simbriam vestimenti il-  
 lius. Dicebat enim intra se, Si tantùm tetigero  
 vestimentum illius, ero salva. Et confestim sicca-  
 tus est fons sanguinis ejus, & sensit corpore, quod  
 sanata esset ab eo flagello. Et statim Iesus in se-  
 metipso cognoscens virtutem ex sese prodiisse,  
 conversus in turba agebat, Quis tetigit vestimenta  
 mea? Negantibus autem omnibus dixit Petrus,  
 & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te con-

Domin.  
 24. post  
 Trinit.  
 Matth. 9  
 Marci 5.  
 Luc. 8.

strin-



stringunt & afflictaut, & dicit, Quis me tetigit? Iesus dixit: Tetigit me aliquis. Nam ego novi virtutem à me exiisse. Et circumspiciebat, ut videret eam, quæ hoc fecerat. Et ut vidit illam, dicit: Confide filia. Videns autem mulier, quod non latuisset, timens & tremens venit, & sciens quod factum esset in se, procidit ante pedes eius, & ob quam causam tetigisset eum, inditavit ei coram toto populo, dixitq; ei omnem veritatem, & quemadmodum confestim sanata fuisset. Ac ipse dixit ei: Confide filia, fides tua te servavit, vade cum pace, & esto sana à tuo flagello. Et salva facta fuit mulier à tempore illo. Adhuc eo loquente, veniunt à principe synagoga, qui dicebant: filia tua mortua est, quid ultrâ vexas Magistrum? Iesus autem protinus audito sermone, qui dicebatur, ait Archisynagoga: Non time, crede tantum, & salva erit. Et non permisit, ut quisquam se sequeretur, præter Petrum & Iacobum & Iohannem, fratrem Iacobi. Et venit in domum Principis synagoga. Elebant autem omnes & plangebant illam. Et cum venisset Iesus in domum Primatis, vidissetq; tibicines & turbam tumultuantem, & flentes ac ejulantes multum. Et ingressus ait illis: Quid tumultuamini & ploratis? Secedite, nolite flere. Non enim mortua est adolescentula, sed dormit. Et deridebant illum, scientes quòd mortua esset. Ipse verò

ejectis



eiectis foras omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & eos, qui cum eo erant, & ingreditur eò, ubi puella erat jacens. Et apprehensa manu puellæ, clamavit, dicens: Thalita cumi, quod est, si quis interpretetur, puella, tibi dico, surge. Et reversus est spiritus ejus. Et surrexit confestim puella & ambulabat, erat enim annorum duodecim. Et obstupuerunt stupore magno parentes ejus. Et præcepit illis vehementer, ne quisquam id sciret, & ne cui dicerent, quid factumerat. Et iussit, ut daretur illi quod ederet. Et emanavit rumor hic in totam terram illam.

Hæc historia, hoc modo coagmentata, quantum ad sui intelligentiam lucis adferat, puto pium Lectorem videre, & industrium interpretem sentire posse.

**OBSERVATIO.** Probè notandum est Harmoniarum Evangelicarum Auctores suprâ commemoratos, in structura & redintegratione quarundam historiarum, mirum in modum variare, siquidem eorum nonnulli res semel gestas, ex parvis indiciis, dupliciter accidisse, colligant. In ejusmodi discrepantiis, etsi tutius est, inniti narratis unius Evangelistæ, quàm allegatione secundi aut tertij, novam, & à priori diversam historiam comminisci: attamen sapienter

*Harmonia omnium Evangelistarum quatenus attendenda.*

D

facit



facit Concionator, si secundum regulam Doctorum Ecclesiasticorum (in Evangelistarum enarratione eadem historiae, propter quarundam circumstantiarum variationem, quæ conciliari possunt, in diversas discerpendæ non sunt. D. Martinus Chemnitius & D. Polycarpus Lyserus in Harmon. Evangelica.) cognatas materias conjungit, & plurium Evangelistarum, inter se mutuas operas tradentium, contextum sequitur, atque quod in ordinario Evangelographo ignotum vel obscurum est, per id, quod ex aliis notius occurrit, explicat.

*Iam pergimus in regulis, quibus explicatio Textus promovetur.*

4. Præcipuarum circumstantiarum historicarum demonstratione. In iis enim Textibus, qui historias referunt, si non omnia in versiculo (quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cùr, quomodo, quando) comprehensa connexa commemorari possunt: tamen principalia, videlicet, quo tempore, quo in loco, à quo, & in cujus præsentia, quid acciderit, recensenda sunt. Cum primis autem operæ precium facturi sunt Concionatores, si ad descriptiones Urbium & distantias

loco.



locorum indagandas, Itinerarium Sacrae Scripturae germanicum M. Heinrichi Buntingi, opus certè aureum, & tantùm à non probatis non probatum, in defectu aliorum Geographicorum operum, diligenter inspexerint.

Geographica opuscula consulenda.

Ad explicationem hujus regulæ, triplici indigemus exemplo.

1. Omnes circumstantias, ductu versiculi allegati, enarrat D. Hunnius in Evangelio Matth.

Festo Epiphaniæ.  
sive Magorum  
Mat. 2.

2. Festo Epiphaniæ: Narratur historia Magorum per demonstrationem factorum & circumstantiarum. I. Quis? Magi? Herodes, Cives Hierosolymitani Pontifices & Scribe populi.

II. Quid? 1. Magi vident stellam inusitatam. 2. certo statuunt designari eo sidere nativitatem Messiae.

3. Ex Oriente veniunt Hierosolymam, & ibidem de nativitate Messiae sciscitantur. 4. Perceptâ sententiâ Synodi, proficiscuntur in Bethle-

hem, lætantur visâ stellâ, & ingressi adorant puerum, sicutq; munera offerunt. 5. Moniti aliorsum in patriam revertuntur. Herodes & cives Hierosolymitani, accepto nuncio de nato Messia, expavescent.

Deinde Rex consilij sententiam, de loco ortus Messiae, rogat. Deniq; Magos instruit & ad revertendum invitât. Pontifices & Scribe ad questionem ex Michea respondent.

III. Vbi? Magi ex Oriente profecti, Christum qua-



runt Hierosolymis, sed in Bethlehem inveniunt. IIII. Quibus auxiliis? Magi ductu stellæ, & arcano Spiritus regimine perveniunt ad Christum. huc referripotest adminiculum Scholæ Danielis. V. Cur? ut Christum quærant, agnoscant & colant. VI. Quando? Tempore Herodis Regis alienigene Iudæorum, ablato scilicet sceptro de Iuda.

2. Aliquot & quidem primarias circumstantias enumerat D. Moses Pflacherus, in Evangelio Marci 7. Domin. 12. post Trinitatis. 1. Locum, videlicet Mare Galilææ. 2. Tempus, post egressum Christi è sinibus Tyri & Sidonis. 3. Personam triplicem: 1. Agentem, Christum: 2. Patientem, Surdum & Mutum: 3. Intercedentem, populum.

3. Ad investigationem locorum in tabulis & libris Geographicis exemplo nobis sit D. Ioachimus Beustius super Evangelium Domin. 5. post Trinitatis, Sic enim infert: Miraculum hodierni Evangelij de ingenti captura piscium, factum est à Christo juxta lacum Genezareth, qui alio nomine apud Evangelistas mare Tiberiadis aut Galilææ dicitur, occupans in longitudinem centum, & in latitudinem quadraginta stadia; qui habuit aquam dulcem, & propterea certis piscium generibus abundavit, qui in aliis aquis non ita habebantur; per quem lacum fluebat Iordanus, fluvius etiam piscosissimus, situs ad radices Carmeli montis,

ut scri-

Domin.  
12. post  
Trinit.  
Marci 7.

Domin.  
5. post  
Trinit.  
Luc. 5.

Geneza-  
reth sta-  
gni de-  
scriptio.



ut scribit Ioseph. lib. 3. bell. Iud. cap. 18. & Plinius lib. 5. cap. 15.

5. Subjecti & prædicati in textibus sententiosis explicatione & dilucidatione. In pericopis enim theticis, ubi nullæ historiæ circumstantiæ occurrunt, sed res nudè per aphorismos enunciantur, singula propemodùm verba, quæ argumentorum vim habent, enodanda sunt. Exemplum propono Lectori in Evangelio Ioh. 16. Domin. Cantate, super verba Christi: Nunc vado ad eum, qui misit me. Loquitur Salvator de instanti suo itinere, & de eotria asseverat. 1. Mortis articulum, quòd iam iam sit abiturus. 2. Itineris modum. Vult enim vadere, non equitare, non vehi, non navigare. Mors enim est via universæ carnis, Ios. 23. 14. 1. Regum 2, 2. 3. Abitus terminum. Vult enim ad patrem proficisci. Iucunda sanè profectio, à mundo ad cælos: ab hostibus, ad blandissimum patrem; ab invidia, ad amorem: à morte, ad vitam.

6. Convenienti rei, de qua dicitur, exaggeratione. Quando enim factum narratur, rei vel dignitas vel indignitas, bonitas vel atrocitas, periculumq; vel felicitas consideranda, & membratim enuncianda est. Do exemplum ad Evang. Luc. 7. Domin. 16. post Trinitatis: Misericordia &

Dom.  
Canta-  
te, Io. 16

Domin.  
16. post  
Trin.

luctus Luc. 7.



luctus matris, funerantis filium, aestimatur: 1. à ploratu & flebilitate. 2. A defuncti propinquitate. Non enim servum aut operarium conductitium, neq; etiam patruelem & affinem amittit: sed proprium filium. 3. à flentis viduitate. Destituta enim antea marito, destituitur nunc & filio. 4. A defuncti pietate. Non enim Acolastus & inutile terre pondus effertur: sed filius morigerus, & multis civibus, quod ex populosissimo comitatu apparet, propter vitæ innocentiam amabilis. 5. A totali orbitate. Unicus namq; erat filius, sui similem matri non relinquens. 6. A morientis commoditate. Etenim non in pueritia erat extinctus: sed tam demum ubi matri in senectute baculum agere incipiebat.

7. Commodà membrorum dispersorum collectione. Non enim semper paraphrasis ad ordinem verborum textualium, & periodorum seriem adstringitur: sed interdum particulae sparsim positæ, materiæ juxta naturalem convenientiam adaptantur. Ut in Evangelio Luc. 2. Dom. 1. post epiphaniâs; de sacra peregrinatione, paraphrasis primæ partis præter cæteras, circumstantiam personarum exponit, nimirum quod iter facientes fuerint Maria, Iosephus & ipse puer Iesus. Sed ne quis opinetur hosce solos profectio-

nem instituisse, observandum, textum secunda

partis

Domine.  
1. post  
Epiph.  
Luc. 2.



partis arguere, quamplurimos Nazarcos simul Hierosolymam ascendisse, cum absentia pueruli in censu popularium & propinquorum maxime animadverti potuerit.

8. Moderatâ vocum exoticarum examinatione & fontium inspectione. Etenim linguarum adminiculo, inspectis præsertim fontibus, sæpe genuinus sensus ejus textus, qui aliàs difficilis habetur, facillimè eruitur.

Régula hæc bimembris est. præcipit enim 1. peregrinarum vocabulorum expositionem: 2. fontium inspectionem. Prius, voces concernit: posterius, sensum. Vtriusq; videbimus exempla.

1. D. Martinus Chemnicus super Evangelium Matth. 5. Domin. 6. post Trinitatis, ad verba illa, Quicumq; dixerit fratri suo Racha, obnoxius erit concilio; exposita voce Racha, rem dilucidam reddi, inquiens: Chaldaei  $\text{ܪܚܝܐ}$  significat spuerere, cõspuerere, &  $\text{ܪܟܐ}$  Roka exponitur sputum, quod nos Germani propriÿß me exprimimus, quando irati alicui dicunt, pfui dich an. Comprehenduntur igitur sub voce Raka omnia signa & gestus irati & malevoli animi, in voce, vultu & gestibus totius corporis.

2. Idem D. Chemnicus super Evangelium Luc. 1. Festo annunciationis Mariæ, ad verba salutationis Angelicæ: Ave Maria, gratiâ plena, &c,

Domin.  
6. post  
Trinit.  
Matth. 5

Racha  
apud  
Matth  
quid  
significet

Festo  
annun-  
ciat.  
Mariæ  
L. c. 1.



Maria  
quate-  
nus ple-  
na gra-  
tia, num  
active  
vel pas-  
sive.

Monachi verba hæc depravarunt, Mariam esse plenam gratiâ, tanquam collum Ecclesie, sicut ipsi loquuntur. Dicunt enim Verbum incarnatum, tanquam caput Ecclesie, plenum esse gratia, ita ut de plenitudine eius omnes accipiamus, Iohan. 1. 16. Mariam verò ex capite plenam factam gratiâ, tanquam collum, ex cuius plenitudine membra Ecclesie gratiam accipiant. Illud etiam (Benedicta tu inter mulieres) in hanc blasphemam sententiam in suis postillis transformarunt: Benedicantur in te mulieres: sicut mares in filio Christo. Sed si adhibeatur grammatica explicatio, plana erit. Angelus enim utitur participio  $\kappa\epsilon\chi\alpha\epsilon\tau\omega\mu\epsilon\delta\eta$ , in significatione passiva, non quod alius gratiam conferat: sed quod Deus eam singulari & gratuito favore complexus, dilectam & acceptam sibi reddiderit.

**OBSERVATIO.** Videndum ut examen linguarum moderatè instituatur, & rudi populo flexione dictionum Hebraicarum, Græcarum & Latinarum parcatur.

De hac cautela inferiùs libro 3. peculiari capite fusiùs agetur.

9. Parcâ diversarum Interpretum quorundam sententiarum collatione. Multa enim sacri codicis loca à Scriptoribus Ecclesiasticis variè & diversimodè ex-



dè exponuntur ; quas discrepantes o-  
piniones , Orator Ecclesiasticus non,  
nisi coram eruditis ac peritis proferre,  
ac probabiliorem cæteris anteferre : co-  
ram simplici autem plebecula unius tan-  
tùm & probatissimæ interpretationis  
probatione, contentus esse debet. Propo-  
no exemplum, in Evangelio Iohan. 16. *Domin.  
Cantate, ad verba : Spiritus sanctus arguet mun-  
dum de iudicio. Iudicium, cuius Christus men-  
tionem hic facit, variè à variis accipitur. Aliqui  
exponunt de iudicio, die parasceves super inno-  
centem Christum instituto : Alij de pravis & si-  
nistris iudiciis mundi super cursu Evangelij, quod  
sit nova doctrina, causa omnis mali : Alij de mun-  
di securitate ob prorogatum extremum iudici-  
um ; quæ quidem interpretationes omnes fidei  
non sunt adversæ, si tamen in illa Salvatoris sen-  
tentia αἰτιολογίας additæ sensus advertitur,  
scilicet principem mundi iam iudicatum esse, li-  
quet inde, Christum neq; de iudicio Hannæ & Pi-  
lati, neq; de sannis Evangelio oppositis, neq; de ne-  
gato novissimo iudicio : sed de metu mundi, ubi iu-  
dicium, id est, territorij iurisdictionem Diabolo,  
tanquam Domino Feudi tribuit, at falsò & in-  
dignè, cum ille Nequam iudicatus & infirmatus  
sit, intelligendum esse.*

10. Nervosâ sententiæ ab Adversariis

D 5

depra

*Domin.  
Canta-  
te, Io-  
han. 16.*

*Iudici-  
um, de  
quo S. S.  
mun-  
dum ar-  
guet,  
quale sit.*



de pravata refutatione. Si enim accideret, ut Hæretici præfenti textu ad stabiliendum perverfum aliquod dogma: abuterentur, Minister verbi veram verborum sententiam proponere nequit, nisi prius impiam Adversariorum opinionem culpaverit, & textum à detorsione violenta liberaverit. Exemplum habet Lector in D. Hunnij explicatione super Evangelium Luca 8. Dominica Sexagesima, ubi in prima partis paraphrasi ponitur. Antequam progrediamur, operæ precium est, corruptelis Quorundam hic occurrere, qui hanc pericopen concionis Dominicae (Vobis datum est, nosse mysteria regni Dei) depravarunt. Nam Pontificij Doctores hinc impium affirmatum suum conantur extruere, quòd nimirum Laici à Bibliorum lectione sint arcendi, quasi dixerit Dominus Iesus: Vobis, scilicet Apostolis, Sacerdotibus & Doctoribus, datum est nosse mysteria: reliquis autem, nempe Laicis, non item. Verum si hæc admittatur expositio, sequitur hand dubie, Laicos omnes, tanquam excoecatos & deploratos homines, à Deo reiectos esse. De talibus enim desperatæ salutis hominibus differit Christus, cum ait: reliquis autem per parabolas, ut videntes, non videant, & audientes non intelligant, ut compleatur in eis prophetia Esaie, quæ dicit: Auribus audietis, & non intelligetis, & videntes videbi-

Dominica  
Sexagesima  
Luca 8.

Laicis  
an Lectio  
Bibliorum à  
Christo  
prohibita.



videbitis & non terneris : incrassatum est enim cor populi huius, & auribus graviter audiverunt, & oculos suos occluserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur & sanem illos. Vbi horrendam illud vatium de excecatione & reprobatione increduli populi Iudaici proditum, simpliciter ad homines Laicos applicare, longe fuerit absurdissimum. Quare Pontificij Doctores, aut ad huius extremae absurditatis scopum impingunt necesse est, ut dicant, Laicos omnes à Deo reprobatos, ne convertantur & salventur; quos tamen Christo & Paulo attestantibus, Deus potissimum eligere dignatus est, Matth. 11, 1. Cor. 1. aut suam expositionem falsam & hereticam esse fateantur oportet.

II. Accuratâ & distinctâ vocabulorum æquivocorum expositione. Interdum enim dictiones vel phrases occurrunt, quæ explicari nequeunt, nisi varia illorum significata ex aliis scripturis adferantur, & cum præsentis loco conferantur; qua in re studiosos Theologiæ non parùm juvabit, clavis scripturæ Matthiæ Flacii, & liber Troporum Bartholomæi Westhemeri. Ut, in Evangelio, quod Festo Iohannis ex Luca 1. legitur, verba illa: & erexit cornu salutis nobis, ansam præ-

Festo Iohannis  
Lucæ 1.

bent



Cornu  
quid in  
scriptu-  
ra S. sig-  
nificet.

bent verbi Ministro equivocationem vocabuli Cornu enucleandi. Præter vulgarem enim significationem, quæ cornutis animalibus propriè competit, in sacris literis alias habet, videlicet, quod 1. denotat potentiam & robur: ut Ierem. 48. cornu Moab confringetur. 2. dignitatem & ornatum Sic Iob dicit cap. 16 se suum cornu in pulverem abiēcisse. 3. Regna significat, ut Dan. 7. 4. Quidam cornua, præsertim ea, quæ in capite Moïsis visa fuerunt, Exod. 34. de rigore legis. In textu Lucæ primum & tertium significatum locum habent. Cornu salutis enim nihil aliud fuit, quàm salutaris potentia & regnum Christi.

Festo cir-  
cumcisi-  
onis Lu-  
cæ 2.

12. Discretâ Doctrinarum sive Locorum Communium suppressione, vel potius segregatione. Quia enim finitâ paraphrasi peculiaris rerum doctrinalium suscipitur recensio, supervacaneum, imò cum tædio conjunctum esset, materias unius partis proprias, multis partibus communes ac vagas efficere, & sic ea, quæ Locorum sunt, cum textu confundere: nisi quis fortè quempiam Locum, in Doctrinarum catalogo, studiosè omittere, & eius in textus enodatione, uno atq; altero verbo, obiter vellet mentionem facere, *Vt D. Hunnius super Evangelium Luc. 2. in Festo circumcisionis Christi, in*  
prioris



prioris partis paraphrasi mentionem facit sacramenti circumcisionis, secundum ejus definitionem & primævam institutionem, & postea illam questionem in Doctrinis omittit, & ad alias se accingit. Quod si Locus voluisset optimus ille Theologus, Methodi hujus paraphrastice, Artifex, illud theorema accensere, sine dubio in textu illud sicco pede transiliisset, utpote in enodanda tantum hypothesis intentus.

13. Rarâ capitum Biblicorum allegatione. Hæc enim in Doctrinis maximè locum habet, ubi thema per dicta & exempla scripturæ comprobari convenit; in paraphrasi autem nudam mentem Spiritus Sancti, in textu reconditam, eruimus, & non nisi declarationis gratiâ, materiam obscuram, per alium scripturæ locum, planum reddimus.

*Praxis hujus regulæ maximè conspicua est, & exemplorum delineatione non eger.*

14. Studiosâ brevitatis & perspicuitatis observatione. Etenim brevitati quidem ideò in paraphrasi est studendum, propter commodiorem & latiorum utilissimarum Doctrinarum diductionem, præsertim in iis materiis, ubi duæ aut tres partes propositæ sunt: ita tamen, ne quid in textu obscurum relin-

---

quatur.



quatur, aut ignotum per ignotius demonstrandum sumatur. Ideo apud omnes probatos & peritos Paraphrastas, præcipue nostrum Hunnium, Textus explanatio semper Locorum censu brevior & angustior, & nihilominus satis declarata extat.

## CAPUT V.

### DE DOCTRINIS ET LOCIS COMMUNIBUS.

*Hoc caput tribus questionibus clauditur, Agitur enim 1. quid sit Doctrina. 2. quid à Paraphrasi & Textus dilucidatione differat. 3. de delectu Locorum, & iusta Doctrinarum exquisicione.*

I. Locus communis seu Doctrina nihil aliud est, quàm articulus fidei, vel aliquod aliud Theologiæ problema, ex Textu natum, verba explicata ad religionis capita referens, & consequenter ad nostrum usum accommodans, adeò necessarium, ut in nulla concione omiti jure queat. De hac enim orationis Ecclesiasticæ parte Paulus ait, Rom. 15, 4. Quæcunque scripta sunt, in nostram

rum



rum spem habeamus. Et 2. Timoth. 3, 16. 17. Omnis scriptura Divinitus inspirata, utilis est ad DOCTRINAM, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo DEI, ad omne opus bonum instructus.

II. Ad quæstionem, quid differentia sit, inter Doctrinam & Paraphrasin textualem, respondetur; differre non subiecto (in subiecta enim materia convenire debent, aliàs inepta esset accommodatio) sed 1. objecto Personarum: 2. adjuncto locorum & temporum: vel, ut uno verbo dicam, Dóctrina à Textu differt, ut thesis ab hypothesis. *Quid autem thesis sit, quid hypothesis, vidimus supra cap. 2. hujus libri, de Exordiis, pag. 33.*

III. In delectu & justa Locorum communium extractione, quatuor sunt notanda:

I. Facilitas. Non enim Doctrinæ à textu alienæ & per vim contortæ, sed quæ in textu natæ sunt, quasque vel verba, vel sensus Textus ultrò largiuntur, tractandæ sunt. *Vt, ridiculum esset, ex Evangelio Luc. 2. Festo circumcisionis Christi, Locum de usu cultrorum, & approbatâ arte fabrili, eruere, cum ipse Salvator instrumento, non lapi-*

*Festo  
circum-  
cisionis  
Luc. 2.*

*deo,*



deo, ut quidam ex Iosue 5. probare contendunt; sed ferreo, sive cultro ad lapidem admotum (mit einem steinscharffen Messer) circumcisus sit. Occurrunt enim in illa historia alij Loci magis obvij, qui non ut hic per crines attrahi, necessum habent.

2. Paucitas. Ex magna enim Locorum copia, ij saltem, qui principales videntur, eligendi: reliqui autem per Noëmata attingendi, vel ad aliud tempus reservandi sunt. Vide exemplum inferius positum in paradigmate super Evangelium Matth. 21. Dominic. 1. Adventus, pag. 82. & seqq.

3. Commoditas. Concionator enim temporis, loci & Auditorum rationem habere, & illas Doctrinas, quarum considerationem præsentis auditorio maximè necessariam & profuturam judicaverit, evolvere debet. Fidelis namque Minister, verbi omnia ad præsentem Ecclesie faciem, & Auditorum captum, moresque populi accommodare debet.

5. Ordinis concinnitas. Non enim Loci confundendi, sed ordine, quem vel series Textus, vel nova materia suppeditat, explicandi sunt. Vt D. Felix Bidenbachius super Evangelium Matth. 7. Domin. 8. post Trinitatis, recte & iusto ordine primæ partis

Dom. 8.  
post Tri-  
nitatis.  
Matt. 7.



Locos disponit, videlicet 1. Semper erunt pseudo-  
 prophetae, praesertim sub finem seculi. 2. Pseudo-  
 prophetas oriri permittit Deus propter graves  
 causas. 3. Subditi in causa Religionis non sunt  
 excusati, si sequantur auctoritatem superiorum.  
 Quod si verò quis primam Doctrinam in ultimum  
 locum reservaret, & post explicatas quaestio-  
 nes de sedulitate Auditorum in cavendis pseudo-  
 prophetis, & de causis haeresium, tum demum  
 quæreret, an falsi Doctores essent, ingentem ma-  
 teria ἀταξίας committeret, & faceret, ut poste-  
 rior Locus omnem gratiam & saporem in auribus  
 & animis Auditorum amitteret.

## CAPUT VI.

DE LOCORVM COMMV-  
NIUM DISPOSITIONE.

*Hoc loco 4. membra cujuslibet Doctrinae  
 explicantur.*

CÆterùm Doctrina in Methodo pa-  
 raphrastica quatuor plerunq; con-  
 stat partibus, videlicet propositione,  
 confirmatione, occupatione & accom-  
 modatione; ex quibus tertia, id est, oc-  
 cupatio, accidentaria Loci communis  
 pars habetur; reliquæ omnes substan-  
 tiales & nunquam intermittendæ æsti-  
 mantur.



I. De propositione. Initiò Locus communis thesi nudâ & simplici comprehensus præmittitur in forma didascalica: Didascalicam autem formam non sine ratione exigimus, cum multi Postillatores reperiantur, qui sub Doctrinarum nomine etiam Hæreticorum confutationes, commonefactiones, increpationes & consolationes introducunt, & sic usum sive praxin & applicationem Locorum, cum Locis ipsis & Doctrinis confundunt. Loci enim communes propriè sic dicti, per se semper sunt theorici: refutationes autem, adhortationes & consolationes non ad theoriam, sed ad praxin pertinent. Excipitur tamen casus necessitatis, quando ob temporis angustiam & brevitatis studium, usus primarius sub propositione Doctrinæ ingeritur. *Vt, in Evangelio Matth. 5. Dom. 6. post Trinitatis, inter cæteros prioris partis Locos, occurrit quidam, de iusticia operum; qui ordinariè quidem & propriè sic proponendus esset: Discimus ex verbis Christi, iusticiam operum nihil facere ad impetrandum regnū cælorum; Hac theoreticè explicari & confirmari debet, antequam in praxi Papistarum aliorumve mentio fiat: Veruntamen D. Hunnius compendii gratia, utramq;*

propo-

*Domin.  
6. post  
Trinit.  
Mat. 5.*



propositionem theoreticam & practicam connectit, & sic enunciat: Sententiâ Salvatoris affirmantis, neminem posse ingredi in regnum cœlorum, nisi ejus justitia abundaverit plus quàm Scribarum & Phariseorum, damnantur ad infernum usque iusticiarij ad unum omnes, qui in suis operibus propriaq; justitia salutem sibi collocant.

II. De Confirmatione. Propositioni confirmatio, & quidem triplex subjungitur.

I. Sumitur ex ea Textus particula, quæ doctrinam suppeditavit. Vt D. Hunnius in Evangelio Matth. 8. Dom. 3. post Epiphaniâ proponit Locum communem de humilitate Christianis commendatâ & sectandâ, & statim post propositionem infert: Monet de hac re Centurio. Fuit is non infimæ profectò conditionis homo, sed vir domi suæ apprimè nobilis & eximia authoritatis coràm suis, adeò ut ad imperium ipsius singuli sua exequerentur munia, & tamen in eo splendore vitæ elucet admiranda humilitas erga Deum, ut se indignum profiteatur, cuius te-ctum Christus subeat.

Domin.  
3. post  
Epiph.  
Matt. 8.

NOTA. Subducitur nonnunquam ex censu probationum hoc argumentum, quando nimirum propositionem antecedit, & hypothesis vicem sustinet, ex qua thesis gignitur. Vt D. Hunnius super



Festo  
pascha-  
tis  
Marc. 16

Evangelium Marci 16. Festo Paschatos, ac Locum communem de salute Mulierum, argumentum Textus & propositionem sub unum ambitum vocat, inferens: Quod Evangelistæ gaudent nominatim meminisse Mariæ Magdalene, fœminæ olim peccatricis & miseræ, ipsamq; ceu Ducem reliquis præmittunt, docere nos Spiritus sanctus voluit, Christum venisse propter peccatores atq; etiam perditum genus muliebre.

Domin.  
5. post  
Epiph.  
Mat. 13.

2. Probatio ducitur ex duobus, tribus, aut ad summum quatuor selectioribus & pertinenter citatis S. scripturæ dictis. Vt D. Hunnius super Evangelium Matth. 13. Domin. 5. post Epiphantias, tradit L. C. de acerrimo Diaboli studio in disseminandis zizaniis. Illum autem locum non modò ex Textus verbis, dormientibus hominibus, venit inimicus &c. sed etiam ex aliis S. scripturæ testimoniis ducit, videlicet 1. Petr. 5. Obambulat Diabolus tanquam Leo rugiens, quærens quem devoret. Apoc. 12. Væ habitatoribus terræ & maris, quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quòd modicum tempus habet.

3. Ex uno atque altero Biblico, nec non profano, per comparisonem adducto, exemplo: vel in defectu historiarum, ex aliis, per consequentiam extructis, argumentis.

Hæ



Hæc duplici paradigmate illustrare possunt.

1. Locus de humilitate, Domin. 3. post Epiphantias, aut 17. post Trinitatis, comprobandus est exemplis sacris & prophanis. Prioris generis historie sunt: Iud. 6. Gideon ab Angelo Domini Dux populi Israelitici designatus, atq; de concomitante Divina defensione certus redditus, humiliter respondit: Qua ratione Israel liberabo? mea familia minima est in Manasse, & ego sum minimus in domo patris mei. Paulus quantum se extenuet, indicatur, 1. Corinth. 15. ubi dicit: Ego sum minimus Apostolorum, & neutrquam dignus, ut nominer Apostolus, quod Ecclesiam Dei persecutus sum. Posterioris generis addi possunt apophthegmata Godefridi Bilionei, & Agathoclis: quorum ille Dux Lotharingie, capta vrbe Hierosolymitanâ, Anno Christi 1099. à toto exercitu Rex declaratus, impositionem regij diadematis in eo loco, in quo Rex Regum Christus spineam coronam gessisset, non absq; singularis humilitatis iudicio, detrectavit: Hic verò Rex Siciliae patre figulo natus, in argumentum humilissimi & semper memoriam vellicantis ortus, figulinis vasis & testaceis patinis poculisq; usus dicitur. De qua re Ausonius:

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea Regem,  
Atq; abacum Samio sæpè onerasse luto.

Domin. 3.  
post Epiph.  
Mat. 8.  
Item.  
Dom. 17.  
post Tri-  
nit. Luc.  
14.

Humili-  
tatis ex-  
empla.

Godefridus  
Dux  
Lotharingie  
Rex Hierosolymitanus.

Agathocles  
Rex  
Siciliae.



Fercula gemmatis cum poneret aurea vasis,  
Et misceret opes pauperiemq; simul:

Quærenti causam, respondit: Rex ego qui sum  
Sicania, figulo de genitore satus.

Fortunam reverenter habe, quicumq; repente  
Divos ab exili progrediere loco.

II. Vbi verò historiae haberi non possunt, post  
dicta scripturæ allegata, argumenta quedam quæ  
bonâ consequentiâ eliciuntur, in medium adfe-  
rantur. Vt in Evangelio Ioh. 2. Dom. 2. post Epi-  
phanias, Conjugium Deo probari, probatur initio  
ex dictis:

Deinde ex argumentis, quæ sumuntur ab ope-  
ribus trium personarum Divinitatis circa conjugij  
negocium agitati. Etenim probavit 1. pater,  
conjugium instituendo, item cuilibet de conjugè  
prospiciendo: Filius, in nuptiis præsentens se exhi-  
bendo, & amorem suum in conjugum amplexibus  
depingendo: Spiritus S. autem epithalamion per  
Davidem piis conjugibus canendo, atq; regulas  
conjugales præscribendo.

OBSERVATIO. In non copioso &  
frequenti Locorum communium con-  
cursu, amplificationis & declarationis  
gratiâ, argumentis & exemplis, inter-  
dum dicta Patrum, similia, comparatio-  
nes & Poëtarum flosculi, moderatè a-  
sparguntur. Vt Gregorius Strigenicius super

Evan-

Domin.  
post E-  
piphani-  
Job. 2.

Conju-  
gium Deo  
probari.



Evangelium Lucæ 24. Festivitate 2. paschatos, de colloquiis sacris, et ait Augustinum serm. 15. de tempore: Nec solum vobis sufficiat, quod in Ecclesia divinas lectiones auditis: sed etiam domibus vestris aut ipsi legite, aut alios legentes requirite, & libenter audite. Item ex Nasonis versiculo sic colligit: Si æquum est, ut

Colloquia piorum qualia esse debeant.

Navita de ventis, de tauris narret Arator: multo magis Christianos decere, sermocinari semper de beneficiis ejus, à quo nomen & salutem consequuti sint. Insuper aliã comparatione utitur, hoc modo: Mundus inventis & figmentis scurrilibus & obscænis delectatur, & in itineribus vanitatum vehiculis & cantilenis amatoris utitur: Veri autem & genuini Christiani tempus meditationibus legis Dominicæ terunt, Psal. 1.

III. Post confirmationem interdum pro re natâ immiscetur occupatio, quæ nihil aliud est, quàm provida & tempestiva tacitæ objectionis declinatio, qua Concionator id, quod propositam doctrinam infirmare videtur, animadvertit, & prius diluit, quàm objiciatur. Absolvitur autem duabus positionibus, I. adversativa: 2. redditiva, cui plerunque confirmationis gratia, si non plures, tamen ad minimum una selectissima Bibliorum sententia annecti debet. Exem-



pli gratiâ, immorabimur in L. C. de conjugio di-  
vinitus approbato, & argumenta supra posita o-  
mni suspitione liberabimus sequenti occupatione:  
Etsi autem matrimonium non caret molestiis &  
difficultatibus, sicuti textus singularis penuria  
novis conjugibus evenientis meminit: tamen sub  
ipsis adversitatibus conjugati DEUM præsentem  
habent, & quidem non ociosum DEUM, sed auxi-  
lium meditantem, & opem ferentem. Psalmo 91.  
Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum.

OBSERVATIO. Non rarò argumen-  
tis confirmatoriis occupatio anteponi-  
tur, aut illa in suum complexum rapit.  
Ut D. Hunnius super Evangelium Lucae 2. Domi-  
nica post Nativitatem proxima, ex hypothese de  
religiositate Hannæ, thesin sive L. C. astruit, ei-  
iam fœmineum sexum Deo gratum esse. Hanc  
propositionem non nuda argumenta, sed quæ occu-  
patione circumvoluta sunt, sequuntur, hoc modo:  
Nam licet in rebus humanis & externis aliqua sit  
virorum præ fœminis præeminentia; sicut mulier  
subjecta esse viro debet, ut Apostolus Ephes. 5. mo-  
net, & in cœtu publico silere, 1. Timoth. 2. attamen  
in rebus æternam salutem attinentibus, ut  
nulla est apud Deum  $\omega\rho\sigma\omega\ \pi\omicron\lambda\eta\psi\iota\alpha$ , sic nulla  
quoque maris atque fœminæ discretio est. Quem-  
admodum Gal. 3. dicitur: non est masculus nec  
fœmina: omnes enim vos unus estis in Iesu Christo.

IV. Tan-

Domin.  
post Na-  
tivitatem  
proxima  
Lu. 2.

Femini-  
nus sexus  
Deo non  
invisus.



IV. Tandem doctrinæ jam confirmatæ addenda est justa ad usum accommodatio, de qua sequenti capite seorsim agetur.

## CAPUT VII.

### DE ACCOMMODATIONE DOCTRINÆ AD USUM.

*De illa Loci communis parte, Applicatione scilicet, notantur, 1. necessitas: 2. specierum Varietas: 3. uniuscujusq; speciei proprietas.*

I. Commemoratio Usus sive Applicatio Doctrinæ ad usum, non relinquitur in Concionatoris arbitrio: sed est concionis membrum non minùs necessarium, ac ipsa Doctrina; imò ex Usu valor Doctrinæ æstimandus est, ita ut si nullus Loci communis usus suppetit, ipse Locus supervacaneus, & Doctrinæ cognitio inutilis censeatur. Equidem quicumque Concionator L.C. tractat absque accommodatione ad usum, videtur tantùm de rebus alienis, & nihil ad se suosq; Auditores pertinentibus, loqui; cum tamen omnis verbi Divini prædicatio nostri causa institui debeat, ut aliquoties ex Paulo Rom. 15. 2. Tim. 3. audivimus. Nec excusati

*Locorum communium usq; nunquam in concione negligendus.*



sunt ij, qui prætendunt, explicatâ doctrinâ, usum subintelligi. Quid si alicui illorum Auditorum idem contingeret, ac Eunucho Act. 8. qui interrogatus, num lecta intelligeret, respondit: quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?

II. Varia autem & præcipuè quatuor genera usuum in concionibus locum habent: nempe 1. Elencticum sive confutatorium: 2. Adhortatorium: 3. Dehortatorium: 4. Consolatorium. Non semper autem omnes & singulæ accommodationis species in unica Doctrina concurrunt: sed interdum aliquas commemorare pro qualitate materiæ sufficit. Vt D. Hunnius super Evangelium Iohan. 20. Domin. Quasimodogeniti, L. C. asserit, de natura fidei, quæ potissimum circa res invisibiles occupata sit, eiq; triplicem usum adsignat: 1. Confutatorium. Taxat enim & ter stolidos appellat Calvinistas, qui propemodum nil credere velint, quàm quod sensibus sit obvium. 2. Attexit Adhortationem, suadetq; ut simplici fide loquenti Deo credamus. 3. Et tandem consolationem subjungit, fidem licet invisibilium rerum assertricem, nihilominus certissimis fundamentis niti.

III. Uniuscujusque usus proprietas dignoscitur duobus modis: 1. ex convenientia: 2. ex differentia.

Con-

Domin.  
Quasi-  
modogen.  
Ioh. 20.



Conveniunt autem supra commemo-  
rati quatuor gradus applicationis, com-  
munibus orationis membris, videlicet:  
1. propositione: 2. querelæ moderatio-  
ne: 3. Confutatione seu redargutione:  
4. Amplificatione & exaggeratione: &  
5. Conclusionē.

Videbimus egyptiacam quatuor graduum, in to-  
tidem exemplis.

I. Vsum confutatorium inserit explicationi  
Evangelicæ pericopæ Festo circumcisionis D. Lu-  
cas Osiander, ad L. communem de necessitate  
circumcisionis & omnium Sacramentorum. O-  
mnia membra luculenter se ostendunt: 1. Propo-  
sicio hæc est: Plurimum errant hac in parte Ana-  
baptistæ. 2. Narratio sive querela sequitur: Pu-  
tant enim infantes per ætatem nondum posse in  
Christum credere, ideoque baptizandos non esse.  
Tales etiam sunt revera Schyvenckfeldiani, etsi  
videri volunt. Quamvis enim liberos suos bapti-  
zari permittant: tamen sentiunt Baptismum ex-  
ternum neq; obesse, neq; prodesse: sed esse rem ta-  
lem, qua vel uti, vel non uti liceat. Eodem mo-  
do etiam de Sacramento Cœnæ Dominicæ senti-  
unt. Invenias enim Schyvenckfeldianū aliquem,  
qui intra viginti annos ne semel quidem ad cœ-  
nam Domini accedat, perinde ac si usu illius sacra-  
menti optimè carere possint Christiani. 3. Refu-

Festo cir-  
cumcis.  
Luc. 2.

Erroris  
Schyvenck-  
feldiano-  
rum de  
Baptis-  
mo refu-  
tatio.

tatio.



tatio. Hæc est magna impietas : & quidem multò major , quàm vulgò existimatur. An non enim hi homines DEUM nostrum stultitiæ arguunt , ut qui talia in Ecclesia sua instituerit Sacramenta , quibus nihil opus sit , & quæ neque ad ipsius gloriam , neq; ad nostram salutem faciant ? Absit hoc. Quin potius DEUS sit sapientissimus : Homines verò , teste Paulo , 1. Corinth. 1. sint stulti & fatui , præsertim in rebus divinis & cælestibus , & agnoscant suam stultitiam , atque DEO se humiliter subiciant. 4. Amplificatio & exaggeratio. Nostrum non est præscribere Deo media & rationes , quibus ille nos salvos faciat. Hoc enim quid obsecro aliud esset , quàm si ager delirans Medico peritissimo præscriberet , quibus pharmacis curari vellet ? Quasi Dominus DEUS non multò melius , quàm nos ipsi , norit , quid nobis conducat ? Sanè tales Sacramentorum contemptores sibi ipsis & aliis , qui eos sequuntur , pessimè consulunt : suam enim & quantum in ipsis est , aliorum salutem negligunt. Et rectè quadrat in illos id , quod Lucas Evangelista de Phariseis scribit , dicens cap. 7. Pharisei & Legisperiti consilium Dei spernebant contra semetipsos , non baptizati à Johanne , &c. Sic etiam contemptores sacri Ministerij consilium Dei spernunt : idque maximo suo damno faciunt , eoq; sacramentorum contemptu seipsos maxime lædunt.

Qui



Qui enim media, Divinitus ad salutem nostram ordinata, contemnunt, & unà cum illis mediis etiam beneficia divina respuunt & abjiciunt: & jure damnantur, quia ablatam gratiam repudi-  
ant. Ac tales perinde videntur facere, ac si quis mare aut altum quoddam flumen sine ullo navi-  
gio transire vellet, qui tamen natare nunquam didicisset. Quem autem finem talis temeritas habitura esset, eundem etiam eorum temeritas consequetur, qui media à Deo data vilipendunt, & ad suam salutem nihil pertinere opinantur.  
5. Conclusio. Quare hunc errorem toto pectore detestemur, & tanquam valde periculosum fugiamus.

II. Vsum adhortatorium continet illa ipsa Osiandrica expositio Evangelij in Festo circumcissionis, post tractationem L. C. de nomine IESV. Conspiciuntur ibi singula membra. 1. Propositio est; Christiani, audito nomine Iesu, caput aperi-  
ant. 2. Narratio & Querela; Calvinistæ eiusmodi reverentiam & honorem Christo denegare solent, deridentes omnes eos, qui ad dulcissimum & consolationis plenissimum nomen IESV capita denudant. 3. Refutatio. Sed quid mirum, si Salvatori nostro honorem habeamus, & ad hoc eius nomen genua inflectamus, cum etiam hostes Diaboli ad illud contremiscant. Sic enim Paulus de Christo inquit: Propter quod Deus exaltavit

illum

Festo  
circum-  
cissionis  
Luc. 2.

Ad no-  
men Ie-  
su num  
caput sit  
nudan-  
dum.



illum, & donavit illi nomen, quod est supra omne nomen: ut in nomine I E S U omne genu flectatur caelestium & terrestrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus noster I E S U S Christus in gloria sit Dei patris. 4. Exaggeratio & Amplificatio. Solemus caput aperire & genua aliquantum inflectere, cum magnorum Principum aut Regum sit mentio, qui vel de Ecclesia Dei, vel de Republica præclare sunt meriti: quanto magis nos hæc pia civilitas decet, cum nomen Dei Salvatoris nostri audimus, quod illi consolationis nostræ causâ, ab Angelo, Legato Dei, priusquã ille in hunc mundum nasceretur, impositum est? 5. Conclusio. Honoremus igitur nostrum Salvatorem I E S U M, eumq; cum Patre & Spiritu Sancto celebremus.

III. Vsum Consolatorium idem Author, citato loco, annectit, membris, ut sequitur. 1. Propositio est: Etiam in externis afflictionibus & calamitatibus, consolationem ex nomine I E S U haurire possumus. 2. Narratio & Querela: Cum enim affligimur, venit nobis quandoque in mentem: D E U M esse nobis, ut peccatoribus, iratum; & veremur, ne D E U S nos oderit & abjecerit. 3. Correctio: Hic ad nomen Iesu nobis confugiendum est, 4. Amplificatio: Quomodo? Sic nixurum, ut cogitemus: En Pater caelestis misit Filium suum unigenitum tua causa in mundum:

eumq;

Nomen  
I E S U  
quantam  
consola-  
tionem  
nobis sup-  
peditet in  
erumnis.



eumq; IESUM vocavit propterea, quod Salvator esset futurus, qui de peccatis tuis te emundaret, quod & suo sanctissimo sanguine effecit. DEUS ergo tibi propter hunc Salvatorem favet, & ea qua tibi adversa immisit, non eo consilio immisit, ut te perdat, sed ut te salvet, ne cum mundo pereas. Habes DEUM clementem Patrem, propter Filium suum IESUM: ergo & paternè te, oportuno tempore, rursus liberabit & eripiet, ut ipsum perpetuò celebres. 5. Conclusio: Quare recordatione huius dulcissimi nominis, molestiæ nostræ facilius devorandæ erunt.

IV. Vsum Dehortatorium habemus in explicatione D. Hunnij super Evangelium Lucae 21. Dom. 2. Adventus. Observantur autem & in hoc suprâ notata membra, videlicet: 1. Propositio: Totâ animorum contentione à peccatis ebrietatis & avaritiæ caveamus. 2. Narratio & Querela Incidimus nos in tempora novissima; videmus ubique terrarum atq; gentium laxis habenis dominari Epicuræismum, quem Christus sub memoratis criminibus perstringit & damnat. 3. Correctio: Quò vehementius autem ista vitia invalescunt, eò studiosius nobis caveamus, idq; ob præceptum Christi, cui ceu Domino & Magistro nostro parere honestum, & ceu supremo illius iudicij Præsidi obtemperare tutum fuerit, ut liceat nobis effugere ea omnia, quæ futura sunt, & stare coram

filio

Domin.  
2. adven-  
tus. Luc.  
21.

Ebrie-  
tatis &  
avaritiæ  
vitia  
vulgari-  
a sunt &  
perni-  
ciosissi-  
ma.



filio hominis. 4. Amplificatio per Exaggerationem: Nec sequamur opinionem vulgi in aestimandis & extenuandis hisce flagitiis, sed vere peccata mortalia esse meminerimus, quemadmodum & Christus hisce diserte pronunciat, & D. Paulus diversis in locis, maxime verò 1. Corinth. 6. Gal. 5. Ephes. 5. & 1. Tim. 6. confirmat. Hinc adeò ipsa hæc peccata, Lucae 8. dicuntur semen verbi divini suffocare, siquidem, teste Christo, hæc sunt exitiales illæ spinæ, nempe sollicitudines, divitiæ ac voluptates huius vitæ, quæ sic suffocant verbum, ut fructificare in hominum animis nequeat. Conclusio: Magnâ igitur diligentia & circumspectione nobis opus est, ne unquam dictis peccatis implicemur.

Porro differunt inter se quatuor Accommodationis gradus, sive Locorum communium usus, quadruplici ratione.

1. Materia. Nam Elencticus Usus certamina religionis tractat: Adhortatorius legem secundum virtutes, promissiones & præmia spectat: Dehortatorius itidem legem, sed secundum vitia, comminationes & pœnas infert: Consolatorius Evangelium adhibet.

2. Objectis. Nam primi generis Usus, Hæreticos & Scripturæ depravatores: secundus, homines in virtutis studio negligentes.

gligen-



gligentiores : tertius manifestos peccatores : & quartus crucis portatores concernit.

3. Differunt affectibus. Nam in Refutationibus & Dehortationibus Concionator affectibus vehementioribus, & animi commotionibus Ethicis : in adhortationibus autem & consolationibus patheticis sive lenioribus utitur.

4. Differunt effectibus. Elenchus enim ad sanæ fidei confessionem : Adhortatio & Dehortatio ad vitæ emendationem : Consolatio autem ad abjecti animi recollectionem conducit.

## C A P U T V I I I.

### D E E P I L O G O.

Ultima pars concionis Epilogus dicitur, sive conclusio, & constat :

1. Brevi partium & præcipuarum Doctrinarum recapitulatione.
2. Voti seu precatiunculæ terminatione.

*Res plana est, & exemplorum, quæ passim sunt obvia, demonstratione non eget.*

OBSERVATIO. Quidam Concionatores aliquid temporis tribuunt adhor-

F

tatio-



tationibus, sciendorum affectuum causa: quorum propositum ideò consistere nequit, cum modò sub finem Doctrinarum, adhortandi, dehortandi, consolandi, & animos commovendi, amplissimus Orationi campus fuerit apertus. Ne igitur officia partium confundantur, in Epilogo ea, quæ paulò antè prolata fuerunt, omittenda erunt. Nisi fortassis quis inter adhortationes speciales & generales, quarum illæ ad Locos communes in specie expositos: hæ verò ad universalem orationem generatim referuntur, distinguere, & hac ratione sub finem homiliæ Auditorum mentes, gravissimâ admonitione ceu fulmine quodam percellere, & illas ad retinendum audita, & in actum traducenda retenta, excitare velit.

## CAPUT IX.

### DE EXEMPLO AD HANC METHODUM ACCOMMODATO.

*Hoc capite exemplum concionis juxta Methodum Paraphrasticam efformata, propono.*

### DOMINICA I. ADVENTVS: Evangelium Matthæi 21.

Exor-



*Exordium.*

**P**Ræsens tempus, tam quo ad Menses, quam quo ad Dominicas aliud nomen fortitur, ac illud habuit, quod abiit. Nam proximè præteriti tres Menses, vel ab autumno, vel vindemia, vel ab hyeme, & sic ab externa mundi facie, denominati sunt: is autem cujus cras calendæ celebrantur, non à tempestate, neq; ab anni qualitate; sed à Christo, qui tempestatis & anni autor & director est, siquidem is ante sedecim secula, & quod excedit, hoc Mense & tempore brumali nasci voluit. Dominicæ autem dies, non ampliùs à Trinitate appellantur: sed Adventus nomen habent, cum æquum sit Christo in adventu redemptionis, sanctificationis & glorificationis appropinquant, quò quatuor hæ Dominicæ spectant, portas aperire, & viam præparare, Psalm. 24.

Etsi autem prælecti Evangelii & hodierni festi consideratione videntur confundi adventus Christi ad incarnationem, & ille alter ad passionem factus: tamen cum pia vetustas ita ordinârit, maximè propter cognitionem personæ

F 2

&amp; offi-



& officij in Christo, non erit nobis molestum, dictum textum, cujus tractatio alioquin ob doctrinam de cœna Domini intermittitur, hac horâ evolvere,

*Propositio.*

Dicemus igitur:

1. De ingressûs Christi apparatu.
2. De ipso ingressu, & Christi equitatu.
3. De populi comitatu.

Videntur quidem mera historica esse: suppeditabunt tamen multas salutare Doctrinas: in quarum indagatione nos adjuvet ipse Christus, per gratiam Spiritus sancti sui, Amen.

*Paraphrasis Textus.*

Hæc historia non tantum à Matthæo nostro, sed etiam à reliquis Evangelistis omnibus, Marco scilicet II. Luca 19. & Iohanne 12. descripta est. Commemorant autem, cum facti circumstantias, tum factum ipsum.

I. Ex circumstantiis initio tempus indicatur, nempe accidisse illa die palmarum, quinto nimirum ante passionem Christi, postquam Dominus Lazarum ex mortuis excitasset, & magnam

specta-



spectatorem turbam sibi adhærentem, multos etiam ex populo famâ miraculi obviam procedentes, haberet, & Hierosolymam, ad persolvendum λύτρον pro peccatis hominum, properaret.

Locus autem, in quo pompam ingressus sui ornandam meditatus fuit Dominus, dicitur Bethphage, prope urbem ad radices montis Oliveti situs, Hebræis idem sonans, ac domus ficuum.

Ad hæc personarum, nempe Discipulorum cum quibus Salvator egit, fit mentio, & quidem duorum Discipulorum. Moris enim fuit Domino semper ex Apostolis binos & binos mittere, Marci 6. Luc. 10. non tantum propter testimonii & rerum expediendarum confirmationem, Matth. 18. sed etiam ob fidelem & mutuam consiliorum laborumq; communicationem.

II, Factum quod attinet, quid videlicet Christus & duo discipuli dixerint & fecerint, exprimitur. Recenset autem Evangelista 1. Mandantis Domini voluntatem. Ablegat enim Christus discipulos in vicum è regione Bethphage situm, ut asinam ibi alligatam solvant, & cum pullo adducant. 2. Rei manda-

Bethphage.

Apostolice  
cur ple-  
runque  
bini sint  
missi.



tæ facilitatem. Dicit enim Salvator, ibi stare ejusmodi jumenta, & possidentem Dominum in dimittendis illis haud fore difficilem. 3. Discipulorum pronitatem. Statim enim abeunt, & expeditè jussa Domini exsequi student.

### Doctrina.

Multæ quidem utilissimæ Doctrinæ, utpote de itineribus & adventibus Christi: de ejusdem exinanitione: de Ministerio Ecclesiastico, & de Judæorum ac gentilium, sub asina & pullo præfiguratorum, ad regnum Christi vocatione, ex hoc textu desumi possent: sed nos aliis omissis, tantùm sequentes excerpemus.

I. Locus: Christum hominem omniscientiâ & infinitâ potentiâ præditum esse. Nam Dominus Jesus, asinam, loci ratione absentem, non solùm vidit, quam tamen nullus vel Discipulorum vel Comitum videre potuit: sed etiam exactè ea omnia, quæ circa dimissionem eventura essent, prædixit, & possessoris, initiò nonnihil reluctantis, eor sic gubernavit, ut in gratiam Domini animalia abduci concederet.

Idem testantur sacrarum literarum

senten-

*Christus  
etiã qua  
homo o-  
mniscius  
& omni-  
potens.*



sententiæ, Coloss. 2. In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Johan. 13. Scivit Iesus, quod omnia dederit Pater in manus suas. Et ad Ephes. 1. ex Psalmo 8. citatur: Constituisti hominem Christum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus.

Illam cognitionem etiam & majestatem mirificè Servator exercuit. Iohannes enim testatur, cap. 2. Iesus semetipsum non credebat turbæ, eò quod ipse nosset omnes, & quia ei non erat opus, ut qui testimonium perhiberet de homine. Et capite 1. cum Nathanaël Dominum interrogaret, unde me nosti? Respondit Iesus: priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Matthæi 9. vidit cogitationes Phariseorum dicens: At quid cogitatis mala in cordibus vestris? Et qui non omnia posset Christus, cum non modò tempestates horribiles uno verbo sedaverit, & omnis generis ægrotantes sanaverit, Matth. 8. sed etiam mortuis vitam restituerit. Matth. 9. Luc. 7. Johan. 11.

Quanquam autem non semper illa omniscientia & potestas sese ostenderit,



idque propter statum exinanitionis admodum fervilem, Philip. 2, ita ut diem judicij extremi ignorasse dicatur, Marci 13. attamen illa vis tantum occultata, & ad tempus abscondita, minimè autem extincta fuit; quam postea in statu exaltationis plenissimè usurpavit, adhuc usurpat, & usurpabit in omnem æternitatem.

Habent hæc suum apud Christianos usum & quidem triplicem.

I. Conducunt ad Calvinistarum redargutionem. Nam illud genus hominum contumeliosè de Christo loquitur, & dicit: Opera omnipotentia & omniscientia Christo competere secundum solam Deitatem, & cum humani natura nihil quicquam commune habere: aut si quæ in humanam naturam sint collata, dona esse ei finita, non infinita. Quod quàm verum sit, ex suprà commemoratis dijudicari potest. Evangelista enim de integro Christo indicavit, quòd viderit & ordinaverit omnia in negotio adducendæ asinæ. Et Paulus non de λόγῳ seu Filio Dei: sed de Christo, & humana & divina natura constante, prædicavit absconditos sapientia thesauros. Ipse

etiam



etiam Salvator fatetur, non finitam potestatem, sed omnem & sic infinitam sibi datam, Matth. 28. Quicquid autem Christo in tempore datum est, id tantum secundum humanam naturam accepit: quia secundum Divinam accipere non potuit, quod antea ab æterno habuit & retinuit. Hæc nostra confessio de Christo oraculis Spiritus sancti consona est: Adversariorum autem sententia ita comparata, ut quantum præ eminentiæ ipsa Christo homini in miraculorum editione, tantum ferè eidem Turcicus Alcoranus tribuat. Igitur omnibus piis Calvinistarum blasphemiam meritò exosæ esse debent.

2. Prodest ad Impiorum à peccatis dehortationem. Equidem multi sceleribus indulgentes pollicentur sibi turpitudinis occultationem, dicentes ex Siracidis 23. quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes tegunt me, & nemo circumstat quem vereor. Verùm qui vidit hîc asinam, videbit & ejusmodi flagitiosos. Ideò in citato loco Siracidis additur: altissimus omnia videt, & oculi eius lucidiores sunt sole, circumspicientes omnes vias hominum, & intuentes

*Scelerati  
à Deo ob-  
servan-  
tur.*



in absconditas partes. Considerate, charissimi, Caini historiam; is certè putabat se patrare parricidium in solitudine, & neminem habere sceleris observatorem: Sed Dominus illum vocavit; indicans, non tantùm sibi omnes circumstantias facinoris cognitâs esse: sed etiam sanguinem interempti Abelis, Actoris partes sustinere, & ad cœlum pro impetrandâ vindictâ clamare, Genes. 4. Solent pueri petulantes honestorum hominum, & inprimis Præceptorum conspectum; revereri: cur igitur non multò magis Christi, ad dextram Patris sedentis, inspectionem reformidaremus?

*Pios Deo respicit.*

3. Denique saluberrimam hæc doctrina consolationem nobis suppeditat, Christum videlicet in omnibus necessitatibus nos respicere & juvare posse. Multi in ærumnis positi conqueruntur, se à Deo negligi, & Dominum ipsorum oblitum esse. Sed falsò DEUM accusant. Quia is, qui vidit alligatam & subjugalem asinam, videt & nos asinos, mole crucis oneratos, & solutionem nostram meditabitur, juxta illud Malach, 3. attendit Dominus & audit, scriptus est liber monumenti coram eo. Sed & cona-

tus



tus hostium infidiosos videt, Psalm. 94. dicunt Impii: non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Intelligite autem insipientes in populo: nunquid qui finxit oculum, non viderit? Sic vidit Deus afflictionem populi sui à Pharaone illatam, Exod. 3. Certò igitur nobis persuadeamus, quin providentia Domini finem calamitatum nostrarum, aut ad minimum sublevamen sit importatura.

II. Doctrina ex 1. parte est; non esse curiosè inquirendum in mandata & mysteria DEI. *Probatio 1. ex Textu*: Discipuli enim non disputant, an adductio jumentorum utilis & possibilis sit: sed verbis Domini simpliciter fidem & obedientiam præstant. *Probatio 2. per dicta Scripturæ*, Proverb. 25. Scrutator majestatis opprimetur à gloria. 2. Cor. 10. Captivandus est intellectus in obsequium Christi. *Probatio 3. per exempla*: Naëman, 2. Reg. 5. Reguli, Johan. 4.

Usus doctrinæ 1. Dehortatorius. Avocat enim omnia petulantia ingenia Hæreticorum & aliorum à scrupulosa dogmatum coelestium rimatione. 2. Adhortatorius. Admonemur enim exemplo Discipulorum ea, quæ nobis deman-

*Mysteria  
Dei non  
petulan-  
ter scru-  
tanda.*

data



data sunt, promptissimè expediendi.

*De II. Parte.*

Circa ingressus Domini descriptionem Evangelistæ duo commemorant I. Formam. Discipuli enim 1. asinam adducunt. 2. adductam, deficiente ephippio, vestibus sternunt. 3. Christum imponunt. II. Finem; ut impleretur nempe vaticinium Zachariæ 9. Describit autem ille Propheta officium Christi: 1. factio initio à gaudii conciliatione. Latere, inquit, filia Sion. 2. Attributionum Regis commemoratione, videlicet quòd sit futurus 1. justus 2. mansuetus 3. pauper, ideòq; sedens super asinam

L. C. I. Christum esse verum Messiam, patribus promissum. Usus. 1. Elenchticus contra Iudæos. 2. Consolatorius. Si enim Christus, in quem credimus, est verus DEVS, nitimur præsidio altissimi & non commovebimur, Psal. 91,

*Sacra  
scriptura  
scopus est  
Christus.*

I I. Doctr. Scripturæ scopum esse Christum. Nam Zacharias & alii Prophetae de Christo vaticinati sunt, Psalm. 40. In libro de me scriptum est. Ioh. 5. Scrutamini scripturas, illa enim est, quæ testimonium perhibet de me, Idcirco

Salva-



Salvator quaestionem de Christo motam,  
ex V. Testamento explicat.

Ufus Adhortatorius. Diligenter lega-  
mus scripta V. T. non tantum propter hi-  
storias & moralia : sed etiam maxima ex  
parte, propter assertiones de Christo.

*III. Pars.*

Tertiae partis Paraphrasis comitatum  
populi sub ingressum Christi explicat,  
1. quo ad Personas. Fuerunt Discipuli, &  
turba, miraculi resuscitati Lazari specta-  
trix. 2. quò ad Personarum officium,  
quod duplex fuit: 1. viae exornatio. 2. ac-  
clamatio & gratulatio.

L. C. I. De Subditis Christi Regis,  
quòd videlicet semper contemptissima  
vulgi pars DEO adhæreat.

Ufus: 1. Elencticus, contra Pontifi-  
cios, qui Ecclesiam veram, ex optimati-  
bus mundi conflata esse autumant.,  
2. Consolatorius, quod nos pauperes  
ad consortium Regis Christi admitta-  
mur.

II. Doctr. Christiani regnum Christi  
suis facultatibus juvare debent.

Ufus: Adhortatio ad liberalitatem erga  
cultum DEI exercendam



III. L. C. De gratiarum actione & precatatione.

Ufus : Adhortatio ad assiduè orandum.

*Conclusio.*

Partes breviter repetuntur, addito voto.

FINIS LIBRI II.



LIBER



LIBER TERTIUS.

DE METHODO CONCIONANDI ARTICULATA.

In hoc libro undecim capita continentur.

*Primum ad generalem istius Methodi investigationem nos deducit.*

*Secundum de Exordio agit.*

*Tertium de propositione.*

*Quartum de Responsionis preparatione.*

*Quintum de Responsionis tractatione.*

*Sextum de pertractatæ doctrinæ Applicatione.*

*Septimum de usu vocabulorum exoticorum & allegatione Patrum & Scriptorum gentilium.*

*Octavum de Conclusionem.*

*Nonum, differentiam inter Methodum Textualem & Articulatam tractat.*

*Decimum, prerogativam & præcellentiam, quam articulata Methodus præ Paraphrastica habet, explicat.*

*Ultimum caput, Exemplum, & concionem paradigmaticam exhibet.*



## CAPUT I.

*Hoc capite 1. Definitio Methodi Articulate:*

*2. Partes concionis generatim: 3. Partium singularum communia accidentia perstringuntur.*

I. Methodus Articulate est ratio concionandi artificiosa, ubi una, duæ, tres, aut ad summum quatuor quæstiones de una materia Theologica Locali (locali dico, ad differentiam materiæ Theologicæ Textualis, quæ ad superiorem Methodum unicè quadrat) proponuntur, & responsiones ex præfato Textu, membratim & per articulorum seriem atque vel secundum causas, vel subjecta, vel objecta, vel partes, vel species, vel formas ac modos, vel fines ac utilitates, vel effecta, vel conditiones & proprietates, vel virtutes, vel vitia, vel alia argumenta, probationis loco desumuntur, atque postea amplificantur, & ad usum transferuntur.

*Horum modorum unicuique assignabo exemplum.*

Juxta causas] *Vt Fenis II, Pentecostes, ex Evangelio Iohann. 3. tractari possunt cause salutis, quarum quatuor in Textu commemorantur 1.*

*Fenis II.  
Pentec.  
Ioh. 3.*

*Wegh.*



1. *ωρα τολμαη*, videlicet miseria generis hu-  
mani, quæ sub vocibus Mundi & tenebrarum  
subinnuitur. 2. Principalis, amor Dei; Sic Deus  
dilexit mundum. 3. Meritoria, satisfactio Chri-  
sti; ut Filium unigenitum daret. 4. Instrumen-  
talis, fides per Spiritum sanctum excitata; ut o-  
mnis qui credit in eam, non pereat, &c. Item, qui  
credit non iudicabitur.

Causa  
salutis  
gen. hu-  
mani.

Secundum subjecta & objecta. ] Vt in  
historia missionis Spiritus S. Actor. 2. Festo Pen-  
tecostes, observatur subjectum occupans & reci-  
piens. 1. Subjectum occupans est Spiritus sanctus,  
qui exhibetur 1. in vento agitante. 2. in igne  
flagrante, illuminante & linguas Doctorum se-  
cante. Spiritus enim ille cælestis fidem, charita-  
tem & alios bonos motus in cordibus hominum  
incendit, & Ministris Ecclesiæ varia ac diversa  
dona confert. II. Subjectum recipiens etiam ex  
Textu explicatur. Datur enim S. S. 1. Munus  
Ecclesiasticum legitime capessentibus. 2. Preces  
fundentibus. 3. Concordiam alentibus. Erant  
enim Apostoli unanimiter congregati & in ora-  
tione occupati. 4. Baptismum recipientibus.  
Baptizetur unusquisq; & sic accipietis gratiam  
Spiritus sancti. 5. Verbum DEI audientibus.  
Actor. 10. Cecidit S. S. super omnes audientes  
verbum.

Festo  
Penteco-  
stes, A.  
Actor. 2.

Spiritus  
S. quibus  
datur.

Per partes. ] Vt Festo Stephani, historiam

G

Actor.



Festo  
Stephani  
Act. 6.  
& 7.

Actor. 6. & 7. expositurus, sic exordiri potest: Puerulus Iesus donariis eximiis, quibus nos heri affecit, hodie videtur virgam adiunxisse, propter tragicam Stephani historiam. Quia autem æquum est, ut si bona à Domino susceperimus, mala etiam sustineamus, Job. 1. videbimus iam & contemplabimur ferulam istam 1. quo ad partes sive ramulos. 2. quo ad condimentum, hoc est, quomodo Deus quasi per saccharum virgam illam oblinire & quasi edulcare soleat. I. In Textu quatuor partes sive ramuli, in ferula Iesuli conspecti, annotantur. 1. Piorum indigentia. Tanta enim erat penuria inter credentes, ut elemosynis publicis, quod ex constitutione Diaconorum apparet, multi victitare cogerentur. 2. Hostium erga credentes malevolentia 3. Falsorum testimonii maledicentia. 4. Persecutionis ad sanguinem & mortem vehementia. II. Ratio condimenti, explicabitur iamiam in titulo de modis.

Domin.  
24. post  
Trinit.  
Matth. 9  
Schola  
triplex  
in Chri-  
stianis-  
mo.

Per species. ] Ut Dominica 24. post Trinitatis ex Evangelio doctrina de scholis evoluitur. Schola autem triplex in Textu subindicatur. 1. Schola literaria. Eiusmodi synagogæ Primas in Evangelio præfectus erat. 2. Schola crucis, in qua Archisynagoga & Hæmorrhousa exercebantur: Checreutz / oder Hauscreutz / Leibcreutz vnd sterbenzcreutz. 3. Schola fidei, in qua Christus & primatem & morbidam feminam exercebat,

Per



Performas & modos. ] Recurrimus exempli gratiã ad historiam Stephani, supra notatam, & modum conditiã virgæ Iesuli explicamus. Sicuti enim Deus semper vindictæ gladium, miserationis oleo exacuit: ita etiam Filius Dei ferulam consolationis condimento dulcem reddit, idq; 4. modis. 1. Spiritus sancti inhabitatione. Stephanus enim plenus spiritu Divino erat. 2. Angelica conformatione. Conspiciebant enim Stephani faciem Senatores & Iudices omnes veluti Angeli faciem. 3. Christi manifestatione, clamat enim sanctus martyr: ecce video cœlum apertum, & Iesum ad dextram Dei stantem. 4. Animæ ad cœlites susceptione, Domine Iesu suscipe spiritum meum.

Festo  
Stephani Act. 6.  
7.

Cruce  
piorum  
edulca-  
tur.

Fines & utilitates. ] Festo Pentecostes ex Evangelio Iohan. 14. de causis finalibus, cur Spiritus sanctus in corda piorum mittatur, commodissimè differitur. Datur autem propter 4. fines: 1. Ad afflictos & solitarios visitandum. Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. 2. Ad rudes & inscios informandum. S. S. docebit vos omnia. 3. Ad ærumnosos consolandum. Non turbetur cor vestrum, &c. 4. Ad DEVM & conscientias nostras pacandum. Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis: non sicut mundus dat.

Festo  
Pentecostes, Ioh.  
14. Spi-  
ritus S.  
propter  
quid de-  
tur.

Per effecta: ] Vt baptismi nostri effecta, ex



Evange-  
lium de  
Baptismo  
Christi,  
Matt. 3.

Evangelio Matth. 3. de baptismo Christi, quod in aliquibus Ecclesiis Dominica intra Festum circumcisionis Domini & Magorum: in nonnullis Dominicâ 1. post Epiphaniâs: in non paucis autem Dominicâ Quinquagesima docetur, apte eruntur, ceu sunt: 1. Cœli reseratio; Et ecce aperti sunt cœli. 2. Spiritus sancti participatio. Iohannes videbat Spiritum Dei descendentem, sicut columbam, & venientem super Christum baptizatum. 3. In filios DEI adoptatio. Clamat enim vox de cœlo: Hic est filius meus dilectus, &c.

Domin.  
Misericord.  
Ioh.  
10.

Conditiones & proprietates.] Ut Dominica Misericordias ex Evangelio Ioh. 10. proprietates Christianorum per proprietates ovicularum explicantur. Sunt autem 1. Vocis pastoreticæ audientia. Oves meæ vocem meam audiunt. Cognosce à meis. 2. Mixta frequentia. Etenim & Gentes & Iudæi pertinent ad ovile Christi. 3. Innocentia. Non enim leonibus, neq; canibus, neque suis, sed ovibus propter virtutes assimilantur. 4. Patientia. Esa. 53. sicut agnus coram tonsore obmutescit, &c. 5. Beneficentia. Oves enim sunt animalia utilissima, & conducunt non modò ad agros stercoreandum: sed etiam ad hominem vestiendum, nutriendum & exhilarandum. Ex intestinis enim ovium chordæ instrumentis musicis adhibentur, conficiuntur.

Christiani  
cur o-  
vibus as-  
similen-  
tur.

Per



Per vitia & virtutes. ] Feriis II. paschali-  
 bus ex Evangelio Luc. 24. tractari possunt Disci-  
 pulorum in Emaus euntium, vel potius in genere  
 Auditorum paschalium ( Osterschüler ) i. vitia  
 & nev. 2. virtutes. 1. Vitia quatuor in textu  
 recensentur. 1. Falsa melancholice depulsio. Cleo-  
 phas enim & socius animi egritudinem ex tra-  
 gœdia parasceves contractam, itinere declinare  
 satagebant: cum tamen unicum remedium me-  
 lancholice opponendum sit traditum, verbum Dei  
 scilicet, psalm 119. 2. Manca articuli de redem-  
 ptione recitatio. Fatebantur quidem, Christum  
 creditum fuisse redemptorem: sed finem redem-  
 ptionis & modum etiam ignorabant. 3. Indis-  
 mulata resurrectionis Christi negatio. Non enim  
 volunt credere, Dominum ex mortuis resurrexisse,  
 & hac ratione fundamentum fidei in dubium vo-  
 cant, 1. Corinth. 15. 4. Prepostera perturbatio.  
 Dicunt se perterritos esse nuncio mulierum, qui-  
 bus Christus redux apparuerat: & hoc terrore  
 non minus peccant, quam Herodes & Hierosoly-  
 mitani, de quibus Matthæus refert cap. 2. quod  
 audito nuncio de Rege Iudæorum nato, turbati  
 sint. II. Virtutes, quæ in illis Auditoribus com-  
 mendantur, quæq; omnes rerum in paschate ge-  
 starum studiosos ornant, sex referuntur. 1. Per-  
 severantia in auscultatione. Cleophas enim cum  
 comite absq; ullo fastidio Christum per tres ferè

Feris II.  
 paschali-  
 bus Luc.  
 24.  
 Pascha-  
 lium Au-  
 ditorum  
 vitia.

Eorun-  
 dem vir-  
 tutes.



integras horas differentem audivit. 2. Patientia in correptione. Malè enim audiunt, & stulti vocantur, & tamen nihil obmurmurant. 3. Ardor in attentione. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via? 4. Liberalitas in retributione. Etenim adigunt illi Auditores suum Concionatorem, gratitudinis causa, ad convivium. 5. Devotio in oratione. Precantur enim: Mane nobiscum Domine, quia jam advesperascit. 6. Sedulitas in aliorum conversione. Conversi enim vel confirmati in hoc resurrectionis Dominicæ articulo recurrerant in civitatem, & undecim Apostolis rem omnem referebant, eosq; etiam in fide confortabant, juxta illud Lucæ 22. Tu olim conversus, confirma fratres tuos.

Alia argumenta. ] Plures modi, si qui sunt, ex scriptis D. Matthæsi, Dr. Lucæ Pollionis, D. Polycarpi Lyseri, D. Georgij Mylij, b. m. D. Salomonis Gesneri, piæ recordationis, D. Georgij Weinrichij & Andreæ Celichii, quibus hanc Methodum (sepositâ interdum paraphrasticâ) usitatam fuisse animadvertimus, peti possunt.

II. Conciones ad Methodum Articulatam formatæ partes sunt quinque: 1. Exordium. 2. Propositio. 3. Responsionis tractatio. 4. Accommodatio ad usum. 5. Conclusio.

Harum



Harum alia sunt constantes, ut Exordium, Propositio & Conclusio, qua semel suum in concione officium faciunt: Alia sunt recidivæ, ut Responsio & Accommodatio, pro numero quæstionum in propositione traditarum aliquoties recurrentes.

III. Hæ partes omnes & singulæ quadruplicem subeunt examinationem. Considerantur enim 1. juxta materiam, unde sumuntur, 2. juxta formam, ad quam disponuntur. 3. secundum finem, ad quem diriguntur. 4. secundum delectum, per quem quid aut usurpamus, aut negligimus.

*Opus enim est in constituendis orationis partibus inventionem, dispositionem & discretionem.*

## C A P U T II.

### DE EXORDIO.

*Docetur hoc capite, quomodo Exordia 1. ad materiam. 2. ad formam. 3. ad finem. 4. ad delectum justè exigenda sint.*

I. Quo ad materiæ inventionem, Exordia sunt triplicia, videlicet, aut humilia, id est, à re ipsa sumpta: aut speciosa, hoc est, aliunde petita: aut mixta ex utrisque.



Homilia Exordia ducuntur, vel 1. à Textûs scopo & summa: vel 2. ab ejsdem partitione: vel 3. à præsentis tempore: vel 4. à præcedentis concionis repetitione: vel 5. à sede Textûs in Catechesi.

Speciosa sumuntur, aut 1. ab aphorismo Theologico: aut 2. à sententia sive sacre scripturæ, sive Patrum, sive aliorum Autorum: aut 3. ab historia vel sacra, vel profana: aut 4. ab antithesi: aut 5. à simili, cui etiam comparatio accensetur: aut 6. à proverbio.

*Exempla adducere, puto opus non esse, cum Exordia in superiori Methodo, cum quibus Exordia præsentis Methodi per omnia fere conveniunt, satis superq; sint elucidata.*

Mixta Exordia dicuntur, quæ ex Humilibus & Speciosis conflata sunt, atque aut statim à Textus vel festivitatis præsentis commemoratione ad thesin quandam sublimem exsurgunt, aut alios duos horum modorum in unum complexum rapiunt. *Vt D. Polycarpus Lyserus in Concione super Evangelium Dom. 20. post Trinitatis, Matth. 22. Anno 1593. VVitebergæ habitâ, ibidemq; excusâ, sic exorditur: Loquitur hoc Evangelium de filio quodam Regio, eiusque*

nuptiis

*Domin.  
20. post  
Trin.  
Mat. 22.*



nuptiis per mactationem pecudum & invitatio-  
nem convivarum adornatis. Iam certum est, Fi-  
lium DEI, Iesum Christum, non ideò in mun-  
dum venisse, ut doceret, quomodo nuptias insti-  
tuere, tauros & altilia mactare, atq; hospites per  
Emissarios vocare, collocare & tractare debea-  
mus; quæ omnia homo beneficio rationis colligere  
& exsequi valet: sed eam ob causam venit, ut  
nos de Deo, eiusq; voluntate & beneficiis, atq;  
iis deniq; rebus, quæ post lapsum oculus non vidit,  
neq; auris audivit, nullumq; cor excepit, nos in-  
stitueret. Præterea hæc concio à Christo triduo  
ante passionem habebatur, ubi Dominus veluti  
morti vicinus à cogitatis nuptialibus alienus fuit.  
Sequitur ergo aliquid maius in Evangelio inqui-  
rendum esse.

II. Dispositio Exordia inventa in ju-  
stum ordinem redigit, & circa formam est  
occupata.

Forma autem Exordiorum, aut inarti-  
ficialis est, aut artificialis.

Inartificialis locum habet in iis Exordi-  
is, quæ à re ipsa ducuntur.

Artificialis habet aut membra omnia,  
aut aliqua saltem, pro qualitate cujusq;  
materiæ.

Constat autem Exordium vel maxi-  
mè quinque membris, videlicet I. Pro-

G 5

posi-

Filius  
Dei ad  
quid in  
mundum  
venerit.



positione. 2. ratione. 3. subsumptione. 4. occupatione. 5. conclusione.

1. *Propositio* quandoque est manifesta & statim obvia: nonnunquam autem, præsertim in Exordiis à dictis & historiis, aliisque apophthegmatis, velut ex hypothesi emergit.

2. *Ratio* argumentum unum atque alterum, ad commonstrationem rei affirmatæ adducit.

3. *Subsumptio* est, quando thesis comprobata ad præsens negotium accommodatur.

4. *Occupatio*, ubi ab objectionibus, vel aliis rebus, proposito nostro incommodantibus, immunes præservamur.

5. *Conclusio* id, quod ratiocinando collegimus, breviter & perspicuè enunciat.

*Exemplo sit exordium, quod Feriis Natalitiis Christi convenientissimè usurpari potest. Propositio: Subditi Regis alicujus aut principis, quando audiunt Magistratui ipsorum summo sobolem, præsertim masculam natam esse, meritò lætitiã adficiuntur. Ratio. Etenim illud non tantum æquitas & Christiana pietas charitasq; in patrem patriæ requirit, ut cum gaudente gaudeamus, Rom. 12. sed etiam Reipublicæ status exigere*

*vide-*

*Festo Nativitatis Christi, Luc. 2.*



videtur, siquidem eâ ratione, metus, ne tota regio  
 olim in Tyranni & iniqui Domini potestatem ve-  
 niat, supprimitur.

Subsumptio. Iam nos Christiani etiam sumus  
 subiecto Domino Dominantium & regi gloria,  
 Psalm. 24. atq; hodiernâ festivitate nuncium ab  
 ipsis Angelis percipimus, Regi nostro Deo Deo-  
 rum hodie Filium natum: non solum Divinâ &  
 eternâ nativitate, de qua Psalmus 2. agit: Filius  
 meus es tu: Ego hodie genui te: sed etiam nati-  
 vitate temporali, quæ miraculose in Bethlehém,  
 matre Maria virgine, peracta est: de quo bono  
 novo Esaie cap. 9. agitur: Parvulus natus est  
 nobis, & Filius datus est nobis, cujus imperium  
 super humerum ejus. In hoc Regno natali omnes  
 regni gratie subditi quam impensissimè latan-  
 tur, cum sciant Principi huius seculi & potestati  
 tenebrarum Diabolo, ne imperio nostri potiatur,  
 aditum interclusum esse. Col. 1. Occupatio.  
 Quia verò spes fallax est, ita ut non paucos fru-  
 stra in recens natis Dominorum filiis sperasse ani-  
 madvertamus, quod imprimis Caini historia de-  
 monstrat, cuius rei causa præmonitio à Davide  
 Psalmo 146. est facta: nolite confidere in prin-  
 cipibus; propterea ex Divinis oraculis inquiren-  
 dum erit, num Parvulus Regi nostro cœlesti na-  
 tus, ita sit comparatus, ut tutò ei nos ipsos commit-  
 tere queamus?

Nativi-  
 tas Chri-  
 sti cur  
 gaudium  
 in piis  
 excitet.

Conclu



*Conclusio.* Proinde prælectum Evangelium, in quo conditio & natura Iesuli eleganter exprimitur, tractabimus, &c.

III. Executio finis consistit in materiæ vel adaptatione, vel commendatione.

Adaptatio respicit, aut Textuum cohærentiam, aut temporis cum prælecta pericope convenientiam.

Commendatio spectat materiæ tractandæ, aut necessitatem, aut difficultatem, aut utilitatem, aut jucunditatem.

*Ad enodationem harum distinctionum, indigemus 6. exemplis.*

*Dominica  
post Trinitatis.  
Matth. 7.*

*Cibatio  
Dei triplex.*

Textuum cohærentiam. ] Vt, Dominica 8. post Trinitatis, Evangelium Matth. 7. de pseudopropheta connectitur ritè cum precedentibus hoc modo: Sicut parentum terrenorum erga liberos suos propensitas ex liberorum sustentatione maxime dignoscitur: ita patris cœlestis erga credentes. Ille enim præcipue escam dat timentibus se, Psalmo 111. & quidem triplicem escam: sacramentalem in cœna, spirituales in verbo, & corporalem in cibo ac potu. De hac trina cibatione intra 14. dies in Ecclesia hoc tempore docetur. Etenim Dominica VI. de dono ante reconciliationem ad altare deponendo, præparamur ad primam nutritionem, quæ fit per Sacramentum

altaris:



altaris: ante obituum autem ex historia de 7. panibus de corporali cibatione dictum est: hodie vero transitum facimus ad spirituale nutrimentum, quod puritate verbi pius obvenit.

Temporis & Textus convenientiam.]

Vt Festo purificationis Mariæ, Evangelium Lucae 2. aptissime cum externo etiam & mundano temporis statu conciliari hoc modo potest: Mos est in aliquibus regionibus, nominatim in Marchionatu Brandenburgico, partis Franconiae Montane, ut famuli & ancillæ circa hoc anni tempus servitia mutant. Idem videmus ex hodierno Evangelio evenire in domo Dei magna, Ecclesiâ scilicet. Etenim servus ille fidelissimus Dei Christus, sic dictus Esaia 53. Phil 2. in templo se sistit, & officium suum obit: Simeon vero, qui se etiam servum Domini appellat, dimissionem petit.

Necessitatem.] Vt, Festo S. Trinitatis, Evangelium Iohan. 3. & tota doctrina de DEO, à necessitate, sequenti Exordio commendari potest: Quemadmodum scholasticus in Academiis cum fruge versari nequit, nisi in scholis trivialibus fundamentum probe jecerit: ita nemo hominum in cœlestem Academiam, que DEUM ipsum Professore & Doctorem habebit, Esa. 66. admitetur, nisi prius in doctrina Ecclesie, que schola est Spiritus sancti, de Dei essentia, voluntate & beneficiis sit imbutus: juxta illud Apostoli, 2.

Corinth.

Festo purificationis Mariæ Luc. 2.

Festo S. Trinitatis Iohan. 3.

Dei cognitio in hac vita nobis necessaria.



Corinth. 5. Superinduemur, si modo non nudi reperiemur. Valde igitur necessarium est, ut articulum hodierni Festi diligenter consideremus.

Festo eodem S. S. Trinitatis.

Difficultatem.] Vt Festo eodem S. S. Trinitatis, gravitas & sublimitas doctrinae de Deo tali Exordio arguitur: Cautum est publico edito, ne quis Alexandrum Magnum pingeret, nisi Apelles, aut eum aere sculperet, praeterquam Lysippus. Putavit enim celeberrimus ille Monarcha, suae dignitati convenire, atque minus erroris & deformationis committi posse, si ab ingeniosissimis & exercitatissimis Artificibus exprimeretur. Iam nobis hodie pictura alicuius Regis ostendenda est; non autem terreni Monarchae, sed eius, quem omnis terrestriis feudi Dominum esse scimus; cuius expressam imaginem à nemine hominum, nisi eo, qui Apellis & Lysippi creator fuit, requirere fas est. Nemo enim novit Filium, nisi Pater: & nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

Deus à quo depictus sit.

Domin. 10. Trinitatis Mat. 22.

Utilitatem.] Vt Dominica 20. post Trinitatis, ex Evangelio Matth. 22. doctrina de vocatione uniuersali, contra tentationes utilis proclamatur, hoc modo: Esau, Gen. 27. praeventus à Iacobo fratre in benedictionis paterna deportatione, coram parente Isaaco vehementer & cum lacrymis conqueritur, quarens & dicens: Nunquid non reservasti & mihi benedictionem? num

unam



unam tantum habes benedictionem, pater mihi mihi quoque, obsecro, ut benedicas. Hanc solitudinem & disquisitionem, multi piij intentionum casibus cum Esavo communem habent. Cum enim ex historia Evangelistarum gratiam & opitulationem Servatoris nostri Christi Iesu omnibus afflictis abunde praestitam, deprædicari audiunt, statim ejusdem participationem desiderant, & anxie quaerunt; nunquid vidua Naumica, hydropticus, paralyticus & alij, de quibus hactenus edocti sumus, omnem consolationem & opem abstulerint, nobisq; nihil dereliquerint. Disspellit tentationum istarum nebulas splendidissima hodierni Evangelij lux, in eo, quod docet, gratiam & misericordiam Dei, imò æternam etiam salutem omnibus, per universalem vocationem offerri.

Jucunditatem. ] *Ut Dominica Iudica, Evangelio Iohan. 8. jucunditatem non exiguam sequens Exordium conciliat: Christo interrogante discipulos, Iohan. 6. num unà cum ingrata Turba recedere velint, Petrus respondet: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Hanc Petrinam vocem & nos hodierno die ingeminare bono titulo possumus, non tantum ideò, ut à consortio inconstantis & ventris studiosæ plebis retrahamur: sed etiam propter causam, quam prælecta Evangelica Pericope innuit. Quam enim neq; sapientum scholæ docere, neq; potentum the-*

*Domin.  
Iudica,  
Ioh. 8.*

*Vita &  
immor-  
talitas à  
solo Chri-  
sto.*

sauri



saure redimere, neq; mortalium ullus monstrare potuit, immortalitatem, eam hodie Christus Iesus in verbo vitæ offert, dicens: Amen, amen, dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. Tanto autem iucundior est hæc doctrina aliis, quanto charior vita, reliquis bonis, & quanto exoptatior æterna vita, externâ felicitate. Itaq; Christi verbis vitalibus & salutaribus auscultabimus, &c.

Ad horum sex finium, si non omnium, tamen præcipuorum, scopum, conformanda sunt potiora exordia, idque necessariò. Nam religiosi & devoti Auditores ea tantum studio prosequuntur, quæ gravia sunt, & sapientiam redolent, quæ item utilitatem & suavitatem præ se ferunt, & à materia prius perceptâ non sunt aliena. Verbum enim in tempore dictum, ut ait Salomon Proverb. 25. 11. est sicut pomum aureum in patinis argenteis.

IV. — Discretio & delectus instituitur plerunque pro discrimine Textuum. Differentiam autem monstrat sequens diagramma.

Textus



Textus quibus concio- nes su- perstru- untur, sunt aut	}	Vagi	}	Arbitrarij, in cō-	}	Nuptialibus.				
				cionibus		Funebribus.				
				Ordinary		Festi-	}	iiq <sub>3</sub>	}	Evange-
						vales				
Domi-	}	nicales	}	vel	}	Episto-				
							larum.			
Fixi, ex	}	Libro certo scri-		}	ptura.	Catechismo.				

Pleriq; quidem Theologi Articulatâ Me-  
thodo utentes, si Textus habent Fixos, tan-  
tùm adaptationi in Exordiis student; in re-  
liquis & Ordinariis & Arbitrariis de con-  
nexionem nō sunt solliciti, nisi membra pro-  
ponenda, & diversos fidei articulos, unâ  
concione tractandos, proœmio quodam,  
mutuò devincire velint: pro mea tamen  
simplicitate, quomodo Evangelium præ-  
sens cum præcedenti utiliter non possit, &  
præsertim Epistola cum ordinario Evan-  
gelio necessariò non debeat per conso-  
nantiam aut digressionem conciliari, non  
video. Etenim cum sacrae meditationes  
prius magno studio inculcatae, non leviter  
sint perturbandæ, juxta illud Apostoli, 2.  
Tim. 3, 14. Tu autem permene in his, quæ  
didicisti, & quæ concredita sunt tibi; vix  
quispiam persuadere mihi poterit, Evange-

H lium



lium matutinâ concione tractatum, radices, in animis Auditorum minùs exercitatorum, agere posse, si vespertina Epistolaris concio materiam prorsus alienam proponat, & non recens traditam harmonicè excipiat, & conformitate quadam confirmet & illustret.

*Domin.  
18. post  
Trinit.  
Mat. 22.*

*S. Bibliorum summa qua.*

Diversos articulos unâ concione.] *Ut, Evangelium Dominica 18. post Trinitatis Matth. 22. Exordium gignit membra principalia aptissimo quodam vinculo conglutinans, ut sequitur; Sacra Scriptura etsi mare est sapientiae Divinae profundum & inexhaustum: attamen à caelesti Interprete & Doctore iustitiae Christo tam compendiosè contrahitur, ut omnia quae amplissimus Bibliorum codex proponit, ad duos tantum Locos, Legem videlicet & Evangelium referri queant. Quid enim est, charissimi, quod unquam & usquam ex Theologia depromptum, sive beneficium Dei, sive hominis officium, morbum vel medicinam, fidem aut opera, concernat, quod legem & Evangelium non redoleat? Quod autem in aliis Textibus sparsim & separatim efficitur, in praelecta Evangelicâ pericope conjunctim traditur.*

*Domin.  
18. post  
Trinit.  
Mat. 22*

Evangelion praesens cum praecedenti.] *Adaptatio in mox posito exemplo, super Evangelium Domin. 18. post Trinitatis intra limites Textus, & quasi privatos parietes se continet.*

Non



Non autem inconueniens esset si foras egredere-  
tur, & Materias proximè explanatas in com-  
plexum raperet; quod duobus exemplis compro-  
batum reddam.

1. Consonantia illius Evangelij, cum Evan-  
gelio Dominice 17. post Trinit. datur hoc modo:  
Sicuti infinitas alias res, etiam præstantissimas  
& utilissimas, abusus acciderit ingruens conta-  
minare solet, ita quoque & Sabbathi rationem.  
Maxima enim hominum pars ferias ocij causâ in-  
uentas esse somniat, cum tamen Deus, qui nobis  
hæc ocia fecit, secundariò tantum ad requiem &  
virium per labores defatigarum recollectionem:  
primariò autem ad sanctificationem hominis,  
hoc est, verbi Divini tractationem & meditatio-  
nem respexerit. Idcirco doctrinæ de Sabbatho, an-  
te octiduum explanatæ, hodie corpus Doctrinæ  
subjungitur, nimirum qualenam verbum diebus  
feriatis proponendum & discendum sit.

2. Si verò Festum D. Michaëlis intervenerit,  
& tamen Concionatori adoptatio Evangeliorum  
arrideret, poterit voti compos fieri, sequenti ra-  
tione: Videtur quidem hoc Evangelium, de dis-  
putatione Christi & Phariseorum, cum doctrina  
de Angelis, hisce diebus explicata, nihil commer-  
cij habere: sed si rem penitiùs ponderamus, ambo  
Textus iusto ordine se invicem excipiunt. Post-  
quam enim nuper ex Apocal. 12. dictum est, Mi-

Sabbathi  
abusus &  
usus.

Eadem  
Domin.



D. Michaelis &  
Draconis  
pugna.

Domin.  
5. post  
Trinit.  
Luc. 5.

Media  
acquirē-  
di & pos-  
sidenti  
bona ter-  
rena.

chaelem Filium Dei cum suis Angelis caelestibus & Ecclesiasticis pugnare: ex adversa autem parte Satanam, antiquum Draconem cum suis angelis praeliari quidem, sed absq; victoria; hodie in arenam ducimur, & Christum victorem, Phariseos autem & reliquam viperinam progeniem ad confusionem usq; expugnari videmus, &c.

Epistola cum ordinario Evangelio.] Ut Dominica 5. post Trinitatis Evangelium Lucae 5. & Epistol. 1. Pet. 3. consinitatem habere hoc Exordio arguitur: Etsi homo ad hanc temporalem vitam, si finem creationis respexeris, potissimum conditus non est: tamen Deus nobis victum & alia hujus vitae necessaria denegare non vult, si modo iustis mediis insistamus. Quae autem media justè acquirendi, & pie possidendi corporalia bona sint, hodiernâ Dominicâ in Ecclesia discimus. Evangelium enim in captura piscium Petrina laborem: Epistola autem fiduciam in clementissimum & benignissimum patrem caelestem praescribit, & simul pacem, absque qua usus terrenarum opum infustus est, speciosè commendat.

OBSERVATIO. Nolo quidem ego, conscius meae tenuitatis, Exercitioribus aliquid hac in parte praescribere, aſt propter bonum Ecclesiae publicum, quod gratiâ Altissimi per annos 21. Ministerij mei (absit tam longè dictis invidia, quàm est arrogancia) expertus sum, omnes Theo-

logiae



logia studiosos & Tyrones, quibus cum in presentis Tractatu ago, hortor, ne omnino studium conciliandorum Textuum, praesertim Epistolicorum & Evangelicorum negligant. Ego certe, ne Incipientes habeant, quod ob penuriam inventionum, quibus hoc negocium, ut & omnis ferè Methodi Articulate ἐργασία, maximè peragitur, iuste conquerantur, me illorum conatibus opusculo quodam, cui titulus erit; Harmonia Evangeliorum & Epistolarum Dominicalium & Festivalium, praecedente praesertim admonitione, non defuturum polliceor.

Epistolarum & Evangelicorum Dominicalium ac Festivalium consonantia valde utilis & necessaria.

### CAPUT III.

## DE PROPOSITIONE.

*Propositio quoque quatuor Notarum censuram sustinet, videlicet: 1. materia: 2. forma: 3. finis: 4. Delectus.*

I. Materia propositionis in hac Methodo non est textualis, ut in Methodo Paraphrastica: sed Doctrinalis, articulum finem proponens.

*In Methodo superiori dominatur Textus: sed in hac Locus communis est Dominus, cui Textus servit.*

II. Forma, disponit partes propositionis, quarum aliae primariae, aliae acci-

H 3

denta-



dentariæ, aliæ subsidiariæ nominari possunt.

Primaria pars Propositionis in tractandarum rerum enunciatione consistit : ubi deprehenditur quæstionis, aut unitas, præsertim in articulis fidei cardinalibus, aliisve locis difficilimis : aut pluralitas ; quæ instituenda est :

1. Breviter & contractè : Qui enim inter proponendum vel phrasas explicat, vel scripturam allegat, vel aliis modis sententiam suam confirmat, orationis ornatum & gratiam perturbat.

2. Distinctè. Locus enim Communis in certas quæstiones resolvendus & distribuendus est.

3. Ordinè. Cavendum namq; ne id, quod naturâ posterius est, priori loco ponatur, & contrà.

Accidentaria est superfluarum quæstionum in aliud tempus rejectio. Hæc q; particula propositionis non in omnibus concionibus usu venire solet.

Hoc modo D. Georgius Weinrichius propositionem adornavit in concione funebri Schilteriana, super Textum Esaia 56. Ut autem huius dicti Prophetici meditatio eò felicitior esse possit, de tribus membris ordinè agemus. 1. De veris fidelium

Super  
dictum  
Esaia 56

Et ele.



& electorum filiorum Dei ornamentis, quibus à securis & impiis filii seculi discernantur. 2. De sorte piorum in hoc mundo, quidq; de illorum obitu mundani iudicent. 3. De statu pacis, quem Beati post mortem occupent. Hæc tria membra in prælecto continentur Textu. Quia verò æstus populosissimum hoc Auditorium nimium prægravare posset, de primo tantum hac vice commemorationem instituemus: reliquis duabus quæstionibus ad crastinam concionem funebrem reservatis.

Subsidiaria propositionis pars est Numinis Divini imploratio, quæ est, aut communis aut singularis.

Communis imploratio, juxta usitatam voti formulam peragitur: Singularis verò aliquam Textus particulam arripit, eaq; ceu fundamento speratæ exauditionis nititur.

Communis. ] *Vt, Deus adsit nobis Spiritu & gratiâ, ut hæc dextrè, ordinè & perspectè tradere, atq; attentè & devotè audire, idq; ad Dei cultum & nostram salutem uti queamus, Amen.*

Singularis. ] *Vt, Dominica 14. Post Trinitatis in tractatione Evangelij Luca 17. votum ex Textu peculiariter decerptum, non erit inconveniens: Elevemus cum 10. Leprosi vocem, & clamemus, Iesu præceptor miserere nostri, & adjuva*

*Domin.  
14. post  
Trinit.  
Luca 17.*



*Domin.  
12. post  
Trinit.  
Marc. 7.*

*conatus nostros per Spiritum S. tuum, Amen.  
Item Dominica 12. post Trinitatis Marc. 7.  
Domine Iesu, ingemina nunc tuum Ephata &  
tange linguam meam, mitte etiam digitos tuos  
in aures nostras, ut tibi grata dicamus & facia-  
mus, Amen.*

III. Finis Propositionum spectat 1. Concionatorem, 2. Auditorem, 3. utrumque.

Concionatoris respectu finis est, metæ in oratione nunquam negligendæ præsignatio.

Respectu autem Auditoris, certæ materiæ expectatio.

Utriusque autem auxilii Divini obtentio.

IV. Delectus ratione materiæ suscipitur. 1. Si occurrit materia textualis & quæstiones ex circumstantiis decerptæ, recurrendum est ad Methodum, libro 2. traditam; solis Localibus quæstionibus huic Methodo reservatis & adaptatis. 2. Si materia copiosa est, & membra omnia simul & semel tractari non possunt, Accidentaria Propositionis pars tantummodò locum habet. 3. Si materia suppetit, cum Doctrina de invocatione, gratia Dei & Spiritu sancto, confinitatem

tem



tem habens, inventio singularium votorum difficilis non erit: In reliquis communem formulam Concionator, pro sua devotione, adhibebit.

## CAPUT IV.

Suprà capite primo dictum est, partes concionis Articulate quinque numerari, atque Exordio & Propositioni proximam esse Responsionem. Quia autem in hac tertia concionis parte interdum prolixitas & membrorum abundantia deprehenditur, videlicet 1. Responsionis præparatio, 2. ejusdem exegetis sive tractatio; ideò de utroque membro distinctis capitibus agemus.

### DE RESPONSIONIS PRÆPARATIONE.

*Hæc etiam, ut superiores concionis partes, exigitur, 1. ad materie inventionem. 2. ad forme dispositionem. 3. ad finis, ut & 4. ad delectus executionem.*

I. Inventio hujus membri, aut communis est, aut singularis.

Communis cum exordio generali convenit, qua de causâ non ineptè Exor-



dium speciale dicitur. Ducitur autem plerumque:

*Domin.  
21. post  
Trinit.  
Ioh. 4.*

1. A Theologica thesi & assertione.] *Vt, Andreas Celichius ex Evangelio Iohan. 4. Dominica 21. post Trinitatis, proprietates fidei tractans, post propositionem, sic insert: Qui ad Deum appropinquare, & cum eo conversari, atq; tam animæ, quam corporis salutem expetere vult, necessum habet, ut fide sit stipatus. Oculi enim Domini respiciunt fidem, Ier. 5. qui vero in Christum non credit, illi Deus ignis consumens existit, Deut. 4. & super ipsum ira Dei manet, Iohan. 3.*

2. A sententiæ five Biblicæ, five piæ vetustatis, five Philosophi alicujus, five Proverbij allegatione,

*Domin.  
Iubilate,  
Ioh. 16.*

Sententiæ Biblicæ.] *Vt, Diducturus ex Evangelio Dominica Iubilate, Ioh. 16. tres quæstiones. 1. an & quatenus Ecclesia sit subjecta cruci. 2. propter quas causas Deus piis immittat calamitates. 3. quæ consolatio cruci sit opponenda; accinget se ad tractationem prioris membri, uno atq; altero Scripturæ dicto, nimirum; Christus Ioh. 14. vocatur ipsa veritas, ipsiusq; promissiones à Paulo ratæ & amen pronunciantur, 2 Corinth. 1. Quamvis igitur sola Christi in hodierno Evangelio facta assertio, ad prioris quæstionis affirmationem sufficeret: tamen quia ad-*

*miratio*



miratione & voluptate non caret, impletionem prophetiae Dominicae contemplari, in medium afferemus 5. probationes. Est enim Ecclesia subiecta cruci, 1. quo ad subitam Christi abitionem, 2. quo ad funestam fidelium persecutionem. 3. quo ad conspectus Christi subtractionem. 4. quo ad piorum eiulationem, 5. quo ad mundi subsanationem.

Sententiae piæ vetustates. ] Ut, D. Moses Pflacherus ex Evangelio Dom. 18. post Trinitatis Matthæi 22. tractans duo membra 1. de dilectione Dei. 2. de dilectione proximi. Prioris partis œconomiam sic auspiciatur: Quemadmodum Bernhardus libro suo, de diligendo Deo, initium facit, inquit: Causa Deum diligendi, Deus est: modus autem sine modo diligere: ita & nos iam facimus, &c.

Domin.  
18. Post  
Trin.  
Mat. 22.

Philologi. ] Idem D. Pflacher super Evangelium Dom. 8. post Trinit. Matth. 7. tractationi, in propositione præmissæ, de Christiani hominis cum arbore comparatione, speciale Exordium, præparationis causâ, præmittit, modo ut sequitur: Apud veteres Philosophos fuit, qui dixit, hominem arborem inversam esse.

Domin.  
8. post  
Trinit.  
Matth

Proverbii. ] Ut, Dom. 5. post Epiphaniæ, Idem D. Pflacherus, ex Evangelio Matth. 13. statum Ecclesie exponens, specialiter primum sic exorditur membrum: Verus quidem, sed verum

Domin.  
5. post  
Epiph.  
Mat. 13

est pro-



est proverbium: templo Dei vix ædificato, Diabolus statim suum iuxta vult extruere sacellum, &c

3. Ab historiæ sive sacræ, sive profanæ citatione.

De oratione Dominica.

Historiæ sacræ. ¶ Ut, D. Polycarpus Lyserus, in concione 5. libelli catechetici, quem inscribit Christianismum, sumit sibi in propositione diducendas duas de oratione quæstiones, videlicet 1. de precatationis in quotidiana pœnitentia exercitatione. 2. de superanda indignitatis nostræ tentatione, & prioris solutionem historiæ Biblicæ recitatione aggreditur, hoc modo: Antequam autem, charissimi, prioris membri egypticæ prosequar, recitabo vobis historiam, nostro instituto convenientissimam, & memoratu dignissimam. Legimus Iosue 6. de mirabili urbis Jerichuntis expugnatione & occupatione, Iosnam Ducem populi Israelitici, ante obsidionem nominatæ urbis exploratores emisisse, & cognitâ munitionum conditione, & civium securitate, exercitum eò deduxisse, atq; mandatum à Domino accepisse, ut Sacerdotes arcam fœderis circa muros Iericho gestarent, & sexto quôque die semel, septem ex illis buccinis clangerent, præcedentibus armatis, & sequente populo: die verò septimo septimâ vite illud facerent, & simul ingentem militarem clamorem moverent. Quibus expeditis, narrat textus, muros corruisse, Iosnam civitatem occupasse,

& o.



Et omnes incolas, exceptâ Rahab & domesticis, quibus ab Exploratoribus salvus conductus, hospitij jure, promissus erat, trucidasse. Hanc historiam ideò præmissi, ut juniores, doctrinam, quam pro tempore tractamus, eò facilius intelligerent. Etenim cor peccatoris est munitio, & atrium à Satana occupatum, Lucæ II. & examine 10. præceptorum exploratum: auspiciis autem cœlestis Iosue, quem Symbolum Apostolicum nobis describit, vociferationem per orationem Domini am instituimus, nihil intermittentes, quin domicilium, Principi tenebrarum ereptum, in potestatem Iesu postliminio redeat.

Orationis efficaciam.

Super caput Iohanne I.

Historiæ profanæ. ] Ut M. Gregorius Strigenitus, in 20. homilia de Conscientia, ubi juxta Methodum hanc tertiam, questionem, de modo sauciæ conscientiæ sanandæ, explicat, sic præfatur: Scribit Pontanus, accidisse quondam Ferrariæ, ut inter Aulicos, de amplissimo & frequentissimo civitatis illius opificio, quæstio moveretur: variis autem artibus mechanicis ultra citraq; nominatis, quendam dixisse, se medicinalem operam omnium usitatissimam reputare: utq; dictis veritatem conciliaret, quempiam ὀδονταλγίαν simulantē, ad stipem juxta ac consilium ostiatim expetendum, subornasse, qui ferè neminem, Medicastrum, remedium proponentem, non offenderit. Ut autē in externis corporis affectibus fermè unusquisq;

De Medicastris multis historia.

medici-



medicinam facere tentat: ita omnibus seculis, homines, medelam contra animi morbos excogitantes reperti fuerunt.

4. A contraria opinione. Occurrit enim sæpissimè in vestibulo Responsionis, prava, sive Hæreticorum sive vulgi opinio, & antithesis, quæ propter aver-tendam in animis Auditorum incommo-dationem, statim convellenda & eradi-canda est.

Vt, D. Georgius VVeinrich in Homilia 3. de pestifera lue, proponit questionem, de remediis malo pestilentie opponendis, & ad solutionem illius viam sternit antithesi, quæ sequitur: Quod igitur attinet rem jam propositam, est ea cognitu valde necessaria. Inveniuntur enim non pauci, qui hisce periculosis temporibus, mediis inordina-tis Deum non leviter offendere, & vel crapulâ continuâ, vel artibus magicis periculum declinare præsumunt, &c.

5. A similitudinis adhibitione.

Vt, Dn. Lucas Pollio in 4. de novissimo die concione, in pertractandis tribus questionibus est occupatus, & priorem, de causis mature indicti Iudicij extremi, similitudinis cuiusdam proœmio exornat, nimirum: Sicuri necessum est, ut vacil-lante fundamento, aedificium corruat: ita si homo articulum hunc de extremo iudicio, in dubium vo-

cat,

Pestis  
quibus  
mediis nõ  
pellatur.



cat, fieri nequit, quin tota fidei sua structura pe-  
riclitetur. Ideo necesse est, ut de hoc articulo  
sepius doceatur, & certitudo novissimi diei pro-  
betur.

Extremi  
judicij  
doctrina  
sepe tra-  
ctanda.

6. A collatione, ubi nempe res co-  
gnatae & earum conditiones ponderan-  
tur, & respectu nostri propositi imperfe-  
ctionis arguuntur.

Ut D. Salomon Gesnerus in concione super fu-  
nus D. Davidis Rungij, expeditâ propositione ge-  
minâ, de fideliter præstando Dei servitio, & am-  
plissimo servorum Dei præmio, speciale Exordi-  
um sic format: In communi vita, homini hoc ho-  
norificum est, & laudi ducitur, si Regi aut Prin-  
cipi servit; & non immeritò quidem, quemad-  
modum Iosephi, Danielis & Sociorum exempla  
demonstrant. At dignitas ista, ob humanam im-  
becillitatem, aularum raram pietatem, fortune  
lubricitatem, admodum afflicta est & contami-  
nata. E contra verò honorificentissima & felicis-  
sima conditio est, si quis ad Dei omnipotentis ser-  
vitium admittitur, &c.

Super  
cap. 5. Sa-  
pientia.

Aulica  
servitia  
periculo-  
sa.

7. A Textus occasione & enodatione.  
Licet enim ea usitator sit in Methodo pa-  
raphrastica, quàm præsentis: tamen si pro-  
positiones Locales proximè sequitur, aut  
commendationis, aut adaptationis vicem  
sustinet.

Ut



Super di-  
Etum, 2.  
Tim. 4.

Ut D. Salomoni Gesnero in concione funebri Hunniana, super verba, 2. Timoth. 4. iam immolor, & tempus resolutionis meae instat, &c. allu-  
buit propositionis, de solidissimis morti opponendis consolationum fundamentis, enodationem, sic ex-  
ordiri: Textus praelectus à Paulo, morti vicino, conscriptus est, Tum temporis enim à Nerone capti-  
vus tenebatur, & divinitus de beato exitu ex hac vita admonitus, casum imminetem discipulo Ti-  
motheo significabat. Cumq; nuncium istud pio illi Episcopo nimis triste accidere possit, aliquot caelestis ac efficacissimae consolationis argumenta addidit, &c.

Atque hi septem modi, ut & alij plures, ad com-  
munem inventionem referuntur. Sequitur de  
singulari.

Singularis Inventio, ad tres sese refert  
modos.

I. Ad quaestionis ambiguae restrictio-  
nem. Fit enim interdum, ut Conciona-  
tor quaestionem tractandae materiae, per  
terminum ambiguum formet: ne igitur  
Auditores plus subsecuturo expectent,  
opus est in Exordio hoc speciali, quod  
praeparationem appellamus, rem limi-  
tare & accuratà distinctione determi-  
nare. Ut D. Polycarpus Lyserus in opusculo cate-  
chetico, cui titulus est Papismus, concione 2. ex-

Super  
Decalo-  
gum.

plica.



plicaturus questionem, qua ratione Pontificij legem Dei sive Decalogum evertere conati sint, instituto suo suspicionem adimit hoc pacto: In initio, quando dico, Papistas Decalogum abrogasse, & ejus loco contraria praecepta condidisse, nemo arripere debet, quasi de ipsorum vita rem velim intellectam; siquidem illa repugnantia ac contrarietas & nobis objici potest. Sed neque de totali everfione & sublatione Divinorum mandatorum mihi sermo est, cum & ista veluti grande & nimis crassum sacrilegium forsantentari non potuerit: verum de hac temeritate loquor, ubi Papistae, literam decalogi inviolatam, leges fabricaverint, & tanto rigore conscientis obruserint, ut istarum observatio vigorem & virtutem legis Divinae enervaret.

2. Ad protestationem, qua Concionator alia Auditorum praedjudicia antevertere studet.

Vt Dn. Lucas Pollio in 7. concione de extremo judicio, ex Evangelio Domin. 26. post Trinitatis Matth. 25. dicturus de sententia super haedis ferenda, peracto voto sic infert: Quod igitur attinet ad thema nostrum propositum, necessum est, ut initio publica protestatione vobis cognitum reddam, me de sententia altera, Venite Benedicti, quam de hac, ite Maledicti, differere malle: Quia verò Servator noster utramq; in hoc Evan-

Decalogus qua ratione in Papatu everfus.

Domin. 26. post Trinit. Evangel. Matt. 25.



gelio conjunxit decisionem, alternativâ positâ, doctrinâ illa Ecclesiæ, maximè propter terrorem impiorum, subduci nequit.

3. Ad certæ Textûs particulæ recitationem. Nam & hac ratione *Ἐξορκισμὸν* instituitur, quando ea Textûs periodus, quæ propositæ quæstionis responsionem suppeditare debet, ex prælecta perioche extrahitur, & seorsim allegatur, ut Auditores, quo fundamento institutum thema præcipuè innitatur, scire queant. Ut, Dicturus ex Evangelio Dominica 24. post Trinitatis Matth. 9. de vera & Theologica mortis definitione, speciali hoc Exordio uti potest: Quod igitur primam materiæ susceptæ quæstionem, de mortis definitione, concernit, referuntur ad illam verba Textûs sequentia: Puella non est mortua, sed dormit. Hæc ipsius Filij Dei verba innuunt, mortem piorum, nihil aliud, quam somnum esse, &c.

OBSERVATIO. Hic iterum studiosus Theologiæ meminerit, non omnes modos præparationis in una concione concurrere: sed sufficere, ut ex illis unus, aut ad summum duo usurpentur; imò fieri non rarò ut omnes intermittantur, & Concionator, viâ in Exordio satis superque stratâ, absq; ulla præpara-  
tione

Domin.  
24. post  
Trinit.  
Matt. 9.  
Mortis  
definitio.



tione ad Responſionem properet. Vt, D. Salomon Geſnerus in concione ſuper Evangelium Domin. 16. poſt Trinitatis Lucae 7. Brunſvige Anno 1603. habita, quaſtionem unicam, de Ornamentis civitatis juxta tertiam hanc Methodum erudite & artiſcioſe explicavit, & ſpeciali Exordio poſthabito, rem ipſam ſtatim aggreſſus eſt hoc modo: Primum decus & ornamentum Reipublicae ex Evangelio deſignatur, Chriſti per veram poenitentiam exceptio.

Domin.  
16. poſt  
Trinit.  
Luc. 7.

II. Diſpoſitio praeparationis in proœmiis ſpecioſis congruit maxima ex parte cum membris Exordij principalis: humilia verò, diſpoſitionis legibus rarò ſubjacent, cum aut pauciſſimis verbis ſuum officium faciant, aut liberè vagentur.

III. Finis, quem exſequitur praeparatio, quadruplex eſt. Solent enim ejuſmodi praëambula rem propoſitam, 1. aut commendare: 2. aut limitare: 3. aut exornare: 4. aut amplificare. Commendamus autem res utiles, neceſſarias, jucundas & difficiles: limitamus quaſtiones ambiguè propoſitas: exornamus materias humiles, & tandem amplificamus anguſtas aut ſteriles.

I 2

IV. Dif-



IV. Discretio & delectus sequentibus Notis regitur:

Super  
dictum  
Rom. 8.

1. Præmisso Exordio primario Humili, id est, à re ipsa petito, in secundario Exordio, *παρεργασίῃ* speciosa elaboranda erit. Exemplo est D. Polycarpi Lyseri concio super funus D. Matthæi VVesenbecij habita, quæ quidem in vestibulo simplicem presentis casus & institutarum exequiarum narrationem: in progressu autem orationis, & statim post formatam propositionem: de probatissima in mortis articulo adhibenda consolatione, proæmium longius petitum, & à terroribus conscientie sumptum, exhibet.

2. Præmisso Exordio generali specioso & aliundè petito, instituenda erit præparatio humilis, aut *παρεργασίῃ* omninò negligenda, Probatur hoc concione D. Gesneri Brunsvigæ habitâ, & superius citatâ: ibi enim Exordium venustum de pacis encomio præcedit, quo Auditorum benevolentia captatur, & via ad propositionem sternitur, omisso omninò proæmio speciali.

3. Si Concionatori utrinque Exordia speciosa & longè petita usurpare volupe fuerit, dabit operam, ut in priori sive principali, materiæ aptitudo & oportunitas, seu cum præcedente cohæren-

tia:



tia: in posteriori autem sive secundario, doctrinae propositae dignitas, encomium fortiatur. Exemplum propono, Evangelium Dom. 4. post Trinitatis Lucae 6. aliquo modo illustrans. Primum autem Exordium tale est. Servator noster Iesus Christus in parabola de servis bonis & iniquis, Lucae 12. inter caetera sic inquit: Cui multum datum est, ab eodem multum repetetur: & cui multum commodaverunt, ab eodem multum reposeent. Hic aphorismus juris est naturalis, civilis & divini, atq; hodie nobis non incommode in mentem revocatur, utpote quibus per aliquot Dominicas plurimum erogatum, & hodie iniunctum est, concredita cum gratitudinis faenore reddere. Quis enim nescit nos ad caenam magnam vocatos, atq; veluti oves perditas, ad paenitentiam quassatos & reductos esse? Idcirco caelestis noster Benefactor, hodierno Evangelio grata officia, corde, lingua & manibus praestanda exigit. Sic autem tractabimus Textum nostrum, ut initio summam praecedentium Dei beneficiorum recapitulemus, & deinde officia nostra perstringamus, dicturi 1. de misericordia divina. 2. de misericordia humana. Votum addatur. Huius primi Exordij munus in connexionem consistit. Sequitur alterum, spiciale nimirum, quod praeparationem nominamus, dignitatem prioris membri sigillatim commendans.

Domin.  
4. post  
Trin.  
Evangel.  
Luc. 6.



Miseri-  
cordia  
Dei, om-  
nium Di-  
vinarum  
proprie-  
tatum  
cōraenda-  
tissima  
est.

Inter varia D E I attributa, æternitatem, infini-  
tatem, omnipotentiam, iusticiam, veritatem &  
misericordiam, à Sanctis Dei viris vix frequentior  
fuit ulla de prædicata, quàm ea, quam ultimo lo-  
co iam enunciavimus, misericordia scilicet. Prio-  
rum enim proprietatum divinarum omnium usus  
generi humano cum reliquis creaturis commu-  
nes, quedam etiam admodum reformidabiles  
sunt: sola verò misericordia D E I homini ad sa-  
lutem maxime conducit. Huius rei causâ David  
exclamat Psalmo 89. Misericordias Domini can-  
tabo in æternum. Quod igitur sancti fecerunt  
Prophete, & nos faciamus, & ex hoc Evangelio  
facere discamus.

4. Concurrente tamen utrobique  
commendatione, propriè sic dictâ & à  
materiæ dignitate sumtâ, necessum erit  
ut in Exordio primo & generali, totus  
Locus Theologicus ad præsentem tra-  
ctationem delectus: in altero autem  
speciali nempe, prior tantùm quæstio,  
attentione quadam rhetoricâ amabilis  
reddatur. Ut Dominica 18. post Trinitatis  
tractaturus ex Evangelio Matth. 22. doctrinam  
de lege, Exordium generale sumere potest à mo-  
re Cretensium, proponentium liberis suis statuta  
in forma cantilenarû, partim propter accuratio-  
rem legis observationem, partim propter excitan-

dam

Domin.  
18. post  
Trin.  
Matth.  
22.  
Cretensi-  
um mos  
in pro-  
mulgan-  
dis sta-  
tutis.



dam rei, aliàs ingratae, delectationem. Deus enim pater noster caelestis, videns, nos naturali depravatione à legum disciplina abhorrere, tam sapienter suam nobis inculcavit legem, ut praeter scripturam & vivam vocem, qua initio tradita est, musicaliter decantetur, & in cantilena Evangelij, (sic enim vocatur dulcissima illa doctrina Matth. 11.) quod hodierna pericope ostendit, contineatur. Formata autem propositione bimembri, videlicet 1. de praestantissimae legis excel-  
sitate: 2. de eiusdem, respectu Evangelij, tenuitate, Concionator priori quaestioni gratiam apud Auditores conciliare conabitur, Exordio speciali, ut sequitur: Cum teste Davide, Psalmo 111. praecepta Domini omnia fidelia sint: at vero à Rabinis mandata Mosaica quingenta & tredecim numerentur, prioris nostri interrogati notositatem nemo non animadvertet. Etenim si Prophetæ Samueli grave fuit, inter octo filios Isai eum deligere, qui ceteris dignior esset, & ad regnum evehendus, 1. Samuel. 16. cur nobis, dono prophetiae destitutis, non difficile esse posset, inter tot & tanta Divina praecepta praecellentissimum omnium nominare? Explicat autem hoc problema magnus ille Prophetæ, Deut. 18. λόγος  
eterni patris, &c,

5. Ne eiusmodi Exordia gemina gratiam amittant, instituenda erit variatio

Manda-  
torum  
Divino-  
rum nu-  
merus  
apud  
Rabinos.



Super 5.  
caput  
Cate-  
chismi  
de Sa-  
cramen-  
to cœna.

thesis & hypothesis : In specie autem cavendum ne in una concione bis, ab allegatione dictorum scripturæ exordiamur. Fieri enim facilimè potest, ut initialis illa uniformitas, attentionem in Auditoribus extinguat. Exempli gratiâ, Catecheta transitum faciens ab explanato quarto doctrinæ Christianæ capite de Baptismo, ad expositionem quinti de cœna Domini, connectendarum materialiarum causâ, primariò sic exordiri potest: Christus resuscitans Iairi filiulam, statim ac ipsi vitam restituisset, mandavit ut reviviscenti cibum porrigerent, Luca 8. Etsi autem nutritio ista ob externam corporis curam instituta fuit, quò Christus veritatem vitæ in puella probaret, utq; ea vires recolligeret: tamen suam habet significationem ad res spirituales, nimirum nobis Christianis non solum Baptismum, sed etiam cœnam Domini necessariam esse. Mortui enim in peccatis Ephes. 2. per Baptismum renascimur, Rom. 6. Cumq; vires nostræ per tentationum labores nimium debilitentur, destinatur nobis cibus & potus in sacramento Eucharistiæ, cuius doctrina optimo ordine in nostra catechesi sequitur. Tractabimus autem hac vice 3. quæstiones. 1. unde sumenda vel discenda sit doctrina de cœna Domini. 2. de Authore huius convivij. 3. quo tempore sacramentum hoc sit institutum. Annectatur votum.

tum.



tum. Quia autem in Exordio principali hypothe-  
 sis & allegatio dicti ex Luca est adhibita, varia-  
 tioni nunc erit studendum, & in præparatione à  
 thesi exordiendum, circiter hunc modum: Tantò  
 gravius est hoc quæsitum, quantò plures sunt, qui  
 à scopo veræ responsionis aberrârunt. Inveniun-  
 tur enim aliqui, qui vel ex rationis sua dictami-  
 ne, vel ex libris Philosophorum: nonnulli, qui ex  
 Patrum & conciliorum decretis: non pauci, qui  
 ex D. Lutheri scriptis primis: quidam etiam, qui  
 ex sacra quidem scriptura, iis tamen locis, ubi de  
 cæna Domini non agitur, cognitionem & diudi-  
 cationem causæ instituire satagunt. Errant au-  
 tem omnes turpiter. Ratiocinatio enim & subli-  
 mitas plerunq; se extollit adversus cognitionem  
 Dei, 2. Cor. 10. Per Philosophiam quoq; sæpissi-  
 mè denudamur, Colos. 2. Patribus prætoria po-  
 testas in dogmaticis derogatur dicto Christi,  
 Matth. 23. unus est pater vester, qui in cælis est.  
 Præterea Luthero cum Davide communis fuit  
 fors & oratio, Psalm. 119 antequam humilia-  
 tus eram, errabam. Denique loca, ab aliquibus  
 allegata, videlicet caput 6. Iohannis, & textus de  
 esca patrum & bibitione Petræ, I. Corinth. 10.  
 ad cæne mysterium referri nullo iure possunt.  
 Monstratur autem genuinus Codex, quem hac in  
 parte evolvere licet, ubi in Textu nostro Lutherus  
 ait: sic scribunt sancti Evangelistæ & Paulus.

Doctri-  
 na de  
 cæna  
 Domini  
 unde  
 discenda



CAPUT V.  
DE IPSA RESPON-  
SIONE.

*Hoc caput duarum tantum est partium. 1.  
Questionum simplicium: 2. Compositorum  
thematum, responsiones pensitat.*

I. In quaestione simplici, ubi de uno vocabulo quaeritur, responsiones constant distributione & diductione.

Distributio fit duplici ratione: 2. juxta articularum numerum & quantitatem, 2. juxta eorundem qualitatem, quae spectat, rei aut partes, aut species, aut causas, aut fines, aut effecta, aut proprietates, aut virtutes, aut vitia. *Vt D. Georgius Veinrichius in concione funebri D. Zachariae Schilteri, super Textum Esaiae 56. Iustus perit, &c. materiam diducendam sic distribuit: Consistit autem ornatus Electorum filiorum DEI in tribus clinodis in textu expressis.*

*Item D. Salomon Gesnerus in concione funebri Rungiana super dictum ex Sapient. cap. 5. Stabit iustus, &c. Indagandae iam sunt proprietates servorum Dei, quarum tres in praelectis verbis recensentur.*

Diductio requirit, 1. uniuscujuslibet nervi enunciationem. 2. Enunciati com-

proba



probationem. 3. Comprobati distinctionem & amplificationem.

I. Nervi enunciatio dupliciter perficitur: primò, rem per terminos convenientes, præcipuè autem per nomina ὁμοιόπρωτα, vel verba ὁμοιοτέλετα effe-

rendo: Deinde terminos perspicuè & vernaculâ linguâ reddendo. Retinebimus hoc loco Exempla modò allata ex concionibus fune-

bribus. Sic autem enunciat D. Georgius VVeinrichius ornamenta electorum, quod 1. sit Iusticia Evangelica, Die Evangelische Gerechtigkeit.

2. Gratuita Dei misericordia, die vnuerdiente gnad vnd Barmhertzigkeit Gottes. 3. Vitæ inculpatae sanctimonia, die Redligkeit im handel vnd wandel.

D. Salomon Gesnerus verò effert proprietates servorum Dei hoc modo: die erste ist/ Vera in Christo iusticia, daß die knechte Gottes müssen durch den Glauben an Christum gerecht seyn.

2. In ærumnis patientia, stehet ihnen zu / daß sie in creutz vnd widerwertigkeit gedültig seyn. 3. Constantia, die Bestendigkeit.

Quia verò hæc apposita paradigmata, nihil nisi ὁμοιόπρωτα, id est, vocabula in nominibus similiter cadentia exhibeant, adscribendum erit exemplum ὁμοιοτέλετων, id est, verborum similiter desinentium. Illis autem usus fuit D. Salomon

Gesne-

Super dictum Esa. 56. Ornamenta electorum que sint. Sap. 5. Servorum Dei proprietates tres.

Gesne-



Super  
Psal. 122

Beneficia Dei  
Ecclesia  
prestita.

Media,  
per quæ  
Dei bene-  
ficia re-  
tinen-  
tur.

Gesnerus beatæ recordationis, in explicatione Psalmi 122. Postquam in prima parte concionis, 5. beneficia Dei Ecclesiæ & Academiæ VVitebergensi, per integrum & Iubileæ festiuitate decantatum seculum, præstita, recensuisset, videlicet 1. Tabernaculi seu domus Domini instauracionem & reformationem: 2. Civitatis Dei ædificacionem: 3. pacis & tranquillitatis conservationem: 4. liberæ religionis confessionem: 5. aquæ justitiæ administrationem; in altera homiliæ parte consilium appendit, & media, per quæ bona illa retineantur, tradit, eaq; quatuor. Dicit enim 1. ardentem esse supplicandum: Man müsse vmb den Fried bitten. 2. precibus pugnandum, wider den Bapst / Türcken / Sacramentirer vnd andere feind / sie seyn geisiliche oder leibliche / streiten: 3. pie vivendum, Ein Christliches vnd Gott wolgefelliges leben führen: 4. bonum pacis inquirendum, dem lieben Friede nachjagen.

2. Enunciati comprobatio, quæ quadri-fariam peragitur:

Primò, Textus particulam materiæ applicando; idque vel nudè, vel brevi quadam circumlocutione. Vt D. Salomon Gesnerus primam servi Dei proprietatem, cuius superius mentionem fecimus, ex verbis prælectis Sapient. 5. demonstrat, hoc modo: 1. proprietas

est,



est, vera in Christo iusticia. Sic enim dicit sapientissimus Salomon, cuius nomen hic liber præ se fert: Tunc stabit Justus in magna constantia. Hæc illatio Textus nuda est. Exemplum autem dilatatæ habemus in concione D. Georgij VVeinrichij, quam postridie exequias D. Schilteri habuit, ubi de commoditatibus moris externæ agitur. Sic autem enunciatur & ex Textu probatur: prima utilitas est, omnium ærumnarum sublevatio. Sic enim ait noster Propheta, Iusti recolliguntur à facie mali. Vtitur autem Propheta hoc loco eleganti metaphora. Quemadmodum vel tempore irruptionis hostium, vel incendii periculo, ea quæ nobis chara sunt & preciosa, recolliguntur & in loca tuta seponuntur: ita Deum ante iræ suæ exardescentiam, erga pios procedere Esaias docet.

Super  
dictum  
Esa. 56.

Deinde quædam S. Scripturæ dicta selectiora. sententiasque alias apportando. Vt D. Georgius VVeinrichius in concione, de officio pii Magistratus, Salza habitæ, 4. officia recenset, nimirum, 1. veræ religionis propagationem. 2. Legum & disciplinæ conservationem. 3. Subditorum defensionem. & 4. Improborum castigationem. Ad comprobationem autem singulorum, testimonia & sententias scripturæ adhibet. Præcipuè verò in primo membro allegat capita Iosue 1. 2. Regum 11. & Psalmum 2. ubi

Magi-  
stratus  
officia.

undi-



undiquaq; cura & custodia verbi cœlestis Gubernatoribus & Magistratibus injungitur.

**OBSERVATIO.** Ex testimoniis Biblica tantum sunt principalia, & in omnium nervorum diductionibus necessaria, & nunquam omittenda; ad legem enim & testimonium Concionatores omnia sua revocare debent enunciata, & si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux, Eiaia 8, 20. Sententiæ autem Patrum sive Doctorum Ecclesiasticorum, inprimis verò philosophorum, ancillantes duntaxat sunt, & in aliquibus tantum homiliæ membri adhibendæ, nec non persæpè, pro ratione temporis, materiæ & Auditorum, omittendæ.

Ideò etiam D. Georgius VVeinrichius in primo præfatæ concionis membro, de Magistratûs officio, secundariâ illâ probatione utitur. Citat autem in diductione sequentium nervorum, Patres, Philosophos, Poëtas & aliorum magnorum virorum diverbia. Nam ubi de justitia & æqualitate agit, Augustini dictum infert, dicentis: Iusticia Regis pax est populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, monumentum gentis, gaudium hominum, solatium pauperum, hæreditas filiorum. Veracitatem probat verbis Senecæ scribentis: Qui sta-

Augustini  
dictum de  
justicia  
Magi-  
stratus.  
Seneca  
dictum de  
æquitate.

tuit



tuit aliquid parte inauditâ alterâ, æquum licet statuerit, haud tamen æquus erit. Sed & Poëtarum flores in concione illa non negliguntur, nominatim artem Ovidij, cujus versiculi, in exegefi modestiæ & humilitatis; & in ultimo primæ partis membro, de Improborum castigatione, recitantur, nimirum:

Sic petitur censura, & sic exempla parantur;  
Cum Iudex, alios quod monet, ipse facit.

Item:

— Immedicabile vulnus

Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Denique & dictæ Imperatorum & Principum locus aliquis in dictâ concione conceditur, utpote Ferdinandi Cæsaris, qui dicere solitus fuit: Si nos non audiverimus miseros, Deus vicissim nos non audiet: Item Ernesti Ducis Luneburgensis, symbolo gaudentis: Aliis serviens, me ipsum consumo.

Tertiò, similibus & comparatione rem illustrando. Ut D. VVeinrichius in concione superius notatâ, simile adhibet, D. Luthero in describendo Magistratûs statu, usitatum, videlicet, Magistratum cum Subditis quo ad naturam & ortum habere quidem eandem conditionem, prærogativâ autem superiores gaudere, ob solam Dei ordinationem; non minus ac abaculi sive

Ferdin.  
Imperatoris dictum de affabilitate Magist.  
Ernesti Luneburgensis symbolû.

Simile de præstantia Magistratus

nummi



nummi auri, qui ex eodem metallo fabrefacti sunt, & tamen quidam illorum, pro libitu Arithmetici, aut unitatis lineæ, aut denariæ, aut centenariæ, aut millenariæ adhibeantur.

**OBSERVATIO.** Comparatio hoc loco est duplex, Prior, cum majus cum minori: altera, cum bonum cum malo confertur.

Prioris exemplum habemus in concione D. Georgij Mylij, piæ memoriæ, in feriis Natalitiis Christi VVitebergæ habitâ. Apostolus Paulus, 1. Timoth. 3. incarnationem verbi non nominat opus Dei, licet sit: sed mysterium vocat. Etsi enim David operibus Dei magnum encomium tribuit Psalmo 111. inquit: Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus: tamen ne quis opinetur, manifestationem Dei in carne, æquali gradu cum reliquis operibus divinis concurrere, utitur vocabulo mysterii, quod rem arcanam & à sensibus humanis remotissimam quidem, Dei tamen potentiâ, majestate & bonitate plenissimam significat. Admirabile itaque opus Dei est creatio omnium rerum ex nihilo: sed magis admirandum redemptio.

Collationem boni & mali instituit D. Polycarpus Lyserus in concione nuptiali Illustrissimi Ducis Saxonie Iohan. Georgij & Sibyllæ Elizabethæ VVirtebergicæ, ex verbis Siracidis 25. In

tribus



tribus placitum est spiritui meo, & c. concordiam fratrum, vicinorum & conjugum explicans, in prioris membri tractatione, prater dicta & exempla sacra, quibus fratrum intimam affectionem & benevolentiam commendat confirmatq; etiam comparatione utitur, sumta ab exemplis, Caini, Gen. 4. Abimelechi, Iudic. 9. Absoloni, 2. Sam. 13. Iorami, 2. paral. 21, Romuli ac Remi, & aliorum, de quibus omnibus illud Ovidianum usurpari potuerit: Fratrum quoq; gratia rara est.

Quartò denique, Enunciati comprobatio perficitur, historias Biblicas, Ecclesiasticas, & nonnunquam profanas etiam recitando.

Sic D. Georgius Veinrichius in primo membro sive officio Magistratus, historias ex sacris citat, de Davide, Psalm. 27. & 22. item 1. paral. 19. de Ezechia, 2. Chron. 30. de Iesia, 2. paral. 35.

Ex Ecclesiastica historia allegat idem historiam Constantini Magni, cujus cura Nicænum concilium celebratum, & rebus Christianorum tranquillitas allata fuit: Theodosii Magni, Novum Testamentum sua manu describentis, & in agone religionis purioris curam habentis: & Ptolomæ Philadelphi, cujus sumptibus græca versio Bibliorum 72. Interpretum orta fuit. Idem Autor in ejusdem concionis sequentibus membris & nervis profanorum scriptorum historias adducit, qualis

Fratrum  
discordi-  
um ex-  
empla.

Magi-  
stratus  
pii & re-  
ligiosi ex-  
empla.

K

est illa



est illa de Trajano Imperatore, qui praefecto Praetorii cum hoc mandato tradidisse gladium scribitur: Hoc pro me utaris, donec justa facio: si injusta fecero, contra me eodem utaris. Item apophthegma Alfonsi Aragoniae & Siciliae Regis, qui dixit, consilium illius Aulici, dissuadentis filii Regii in literis informationem, ab Consiliariorum copiam, vocem non hominis, sed bovis esse.

II. In quaestionibus conjunctis, integram propositionem continentibus, sex membra se offerant:

I. Propositio, quae est simplicissima enunciatio, aliquid vel affirmans, vel negans.

Hanc formam triplici ratione:

Primò, quaestionem ex verbis Textus decidendo. Vt, Dominica 15. post Trinitatis ex Evangelio Matth. 6. inter ceteras quaestio conjuncta tractanda occurrit, de curâ victûs causâ suscepta, an licita sit homini Christiano nec ne; praemissa in preparatione sive Exordio speciali, limitatione, non de cura vocationis, sed nutritionis sermonem esse, Concionatori occurrit Propositio in ipso Evangelio & gremio Textûs nata: Ne sitis solliciti, quid esuri sitis, aut quid bibituri.

OBSERVATIO. Sciendum hunc modum non ubivis obvium esse. Plerique enim Textus, controversam quaestionem

magis

Domin.  
15. post  
Trinit.  
Mat. 6.



magis argumentorum subministracione, quàm expressâ enunciatione decidere videntur.

Secundò, propositionem consonantibus S. Scripturæ dictis reddendo. *Vt, Dominica 12. post Trinitatis ex Evangelio Lucæ 10. Tractaturus quæstionem, utrum justificatio operibus legis, aut fidei in Christum, sit adscribenda, expedita, præparatione, propositionem formabit, Hominem non bonis operibus sive merito humano, sed sola fide, meritum Christi amplectente, justificari. Et ne quis putet, hæc extra scripturam & verbum Dei dici, ipsius Spiritus sancti in S. Bibliis declarata sententia, per aliquod testimonia adungi poterit, qualia sunt: Rom. 3. Arbitramur (statuimus) fide justificari hominem, absq; operibus legis. Eph. 2. Gratiâ salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur.*

*Domin.  
13. post  
Trinit.  
Lucæ 10.*

**OBSERVATIO.** Hæc Biblica decisio, interdum Propositioni agglutinatur: nonnunquam autem longo intervallo ab eadem disjuncta, in conclusionem Tractationis, hoc est, post argumentorum diductionem reservatur. Ejusmodi enim testimonia generalia, si argumentis specialibus accommodari non possunt, quàm aptissimè



aut propositioni inseruntur, aut conclusionis vicem sustinent.

Tertiò rem nudo aphorismo seu thesi efferendo. Hic modus locum habet in iis Propositionibus, quæ disertè, quò ad literam in S. scripturis non extant, sed tantum bonâ consequentiâ eliciuntur. Exemplo sit dijudicatio certaminis Anabaptistici de Pædo-baptismo; Hæc, quo ad syllabas, ex S. Bibliis enunciari nequit. Sufficit igitur, ut Thesis proferatur, videlicet, *Infantes sunt baptizandi*, & tandem argumenta ex medulla Scripturæ deprompta ordine subsequantur,

2. Argumentorum, Propositionem confirmantium, maximè ex Textu naturæ, coacervatio: Resumatur Exemplum superius positum. *Vtrum lege & operibus, an sola fide in Christum iusticia & salus acquiratur*, & examinetur Evangelium Luc. 10. Dom. 13. post Trinitatis, tunc sequentia argumenta, pro fidei iustificatione militantis, prodibunt .1. sumitur, à fidei in Patriarchis exercitatione. 2. à legis rigore & perfectione. 3. à sauciæ humane nature infirmatione. 4. à Sacerdotum & Levitarum aversatione. 5. à solius Samaritani Christi medicatione.

3. Singulorum argumentorum diductio. Hæc ferè ad modum, supra, circa

simpli-

Dom. 13.  
post Tri.  
Luc. 10.  
Sola fide  
hominē  
iustifica-  
ri pro-  
batur 5.  
argumē-  
tis.



simplicium quaestionum tractationem, delineatum, perficitur, & probatione per verba Textus, Scripturae dicta, exempla varia, similia, & alia orationis lumina, instituta, gaudet. *Exempla videantur superius.*

4. Argumentorum per distributionem, si qua opus est, declaratio. *Vt, quintum & ultimum argumentum modo commemoratum, de Samaritani Christi medicatione, latius diffunditur, & ex textu ordine excutitur 1. Medici exinanitio & indigentia. Erat enim Christus quasi peregrinus, & Iudaeis ut Samaritanus invisus. 2. Ejusdem condolentia. 3. Beneficentia, quam praestitit, 1. quo ad adbibitum medicamentum. 2. quo ad suppositum jumentum. 3. quo ad apertum domicilii tegumentum. 4. quo ad procuratum nutrimentum.*

*Eadem Dom. 13.*

**OBSERVATIO.** Concurrentibus in unius quaestionis decisione multis argumentis & subdistinctionibus, ratio temporis habenda, & diductio singulorum nervorum, non secundum omnes praescriptos modos, sed solummodo juxta principales probationes, quas Textus & Scriptura suppeditat, absolvenda: e contra usurpationi apophtegmatum, similia & aliorum florum tantum in argu-

K 3 mentis



mentis debilioribus indulgendum est.

5. Comprobati, à tacita objectione vindicatio. Hæc etiam non semper & in omnibus Tractationis argumentis necessaria est, sed tantum ubi contrariæ opinionis incommodum occurrere videtur, valet. Vi, in argumento secundo dispositæ nostræ materiæ, rigor & perfectæ legis impletio arguunt quidem legem justificare hominem nequire, sed subdubitatio tamen oritur, an non lex propter illam salvandi inhabilitatem, intermittenda & ex Ecclesiis prorsus eliminanda sit. Itaq; per vindicationem quandam, alij legis fines paucis verbis attingendi erunt.

6. Conclusio, quæ decisionem & rem probatam nuda quadam thesi repetit.

### *Admonitio ad Lectorem.*

Quòd in hoc capite me intra metas quatuor usitatorum terminorum non continuerim, & Responsionem ad materiam, formam, finem & delectum non revocarim, in causa fuit, quòd materia & forma adeò in hoc negotio coarctentur, ut vix ab invicem dirimi queant, finis autem utpote in explanando, docendo & confirmando consistens, iudicatu facilis, & discretio questionum facilima sit.



CAPUT



CAPUT VI.  
DE ACCOMMODATIONE  
AD USUM.

Rebus theoricè expeditis, hoc caput ad tractationem practicam nos deducit, & agit, quomodo Auditores audita, ad usum proprium accommodare possint & debeant.

*Explicatur autem hoc loco. 1. Materia qualitas. 2. Formæ concinnitas. 3. Finis commoditas. 4. Delectus varietas:*

I. Materiae qualitas ex quadruplici concionum usu dignoscitur, videlicet Confutatorio, Adhortatorio, Dehortatorio & consolatorio.

CONFUTATORIUS sive ἐλεγχικὸς usus, triplicem materiam complectitur:

1. Veram Hæreticæ opinionis recitationem.

2. Convenientem & orthodoxam contradictionem, quæ fit, partim per præsentem Textum, partim per scripturas alias, partim per bonam consequentiam.

3. Moderatam hæresis abominacionem.



ADHORTATORIUS sive *υγελυκός*,  
Auditores ad virtutes propositas sectan-  
das, argumentis ab honesto, utili, necessa-  
rio, facili, possibili ductis, incitat.

DEHORTATORIUS sive *επιτιμογυλικός*,  
correctivus Auditoribus vitia in tractati-  
one ostensa abominabilia reddit, & ex ar-  
gumentis, ab inhonesto, inutili, difficili,  
impossibili rexitur.

CONSOLATORIUS sive *συνυλικός*,  
pavidis mentibus & afflictis consulit,  
& argumenta à necessario, utili, jucundo,  
facili, propinat.

II. Formæ concinnitas, spectat dispo-  
sitionem uniuscujusque usus, secundum  
quinque membra, nempe 1. propositio-  
nem. 2. querelæ editionem, quæ aut de  
Hæreticorum absurditatibus & blasphe-  
miis instituitur, aut segnitiam & securi-  
tatem hominum taxat, aut afflictorum  
& sub cruce pressorum hominum suspi-  
ria & gemitus, vel, etiam mundanorum  
de calamitosiis perversa judicia repetit;  
fitque præsertim in posterioribus jam  
commemoratis casibus, aut verbis famili-  
aribus, in communi conversatione ob-  
servatis, aut Biblicis. 3. Redargutionem.  
4. Amplificationem. 5. Conclusionem.

*elench-*



Elenchici usus paradigma ex 4. concione D. Mosis Pflacheri de Morte proponimus. Propositio est: Hæc commemoratio de causis mortis, conducit ad refutationem eorum, qui perperam hac in parte sentiunt, Querela: Epicuræi opinantur, hominem Deo neq; in vita, neq; in morte curæ esse, sed casu evenire, ut aliqui moriantur, aliqui autem superstites maneant. Sic enim blaterant, Sapient. 2. Casu nati sumus, futuri postea, quasi non fuissimus. Redargutio. Contra banc impiam vocem tenebitis, Auditores, id, quod in Textu Psalm. 90. habemus; Domine, tu redigis mortalem eò, usq; fit contritus. Omnes dies nostri in libro Domini scripti sunt, psalm. 139. Tempus est pariendi, & tempus moriendi, Eccl. 3. Amplificatio. Etsi autem Philosophi quidam mitius de hac re sentiunt, & elementis vel causis secundis hominis interitum adscribunt; tamen à vera causa etiam aberrant, non minus ac si quis duos asseres juxta se collocaret, & uno concusso, alterum loco moveret, atq; lapsum remot oris, priori imputaret, cum tamen homini ipsi, veluti primo motori adscribenda fuisset. Et sicut in arte jaculatoria, non sagitta aut globus, sed Sagittarius vel Sclopetarius, collimationis causa est: ita vera mortis causa, non hominis voluntas, aut elementum est, sed vitæ autor & director Deus. Conclusio posteriori simili inclusa est.

Super 90  
Psalmū.  
Mortis  
inter ho-  
mines  
qua cau-  
sa.



Adhortatorii usus ἐργασία in 24. concione Gregorii Strigenicii de conscientia habetur. Propositio: Medici Christi curæ spirituali nos committamus. Querela; Multi homines instar phreneticorum volunt vel morbum agnoscere, vel medicinam adhibere. Ier. 8. & 51. Redargutio, & Amplificatio, per versiculos & cantilenarum fragmenta adduntur:

Vulneribus Christi si quis sua vulnera jungit,  
Ille potest cunctis fortior esse malis.

Dom. 10.  
post Tri.  
Luc. 19.

Dehortationis Exemplum ex D. Sim. Musæo petitur, Dom. 10. post Trinit. Lucæ 19. Propositio: Speculum hoc iræ divine in Iudæis ostense, nobis gentibus nunc exhibetur. Querela: Proh dolor nemo tempus visitationis agnoscere vult, sed cum Iudæis ferè omnes pari ingratitude passu ambulamus. Lutherus suo tempore habuit, quod de perversitate mundi conquereretur: at nobis graviores sunt cause querimoniarum. Redargutio ex Psal. 2. & Ierem. 5.

Consolatorii usus dispositionem, ex supra allegata Strigenicii concione depromimus Propositio: Nemo in auxilio cœlestis Chirurgi desperet. Querela: Diabolus exaggerare novit delicta & impellit homines ad dicendum cum Caino Gen. 4. major est iniquitas mea, quàm ut remitti possit. Redargutio: Negatur hoc ex dictis Rom. 5. Psal. 130. 1. Iohan. 3. Ierem. 30. Amplificatio: Me-

n. ch.



nachorum figmentum est, Angelos & Diabolos  
 Heinrici Imperatoris bona opera in laude ponde-  
 rasse, & Laurentium Martyrem, calicem aure-  
 um, sibi suoq; templo à Cæsare quondam conse-  
 cratum, evidentioris exuberantiæ gratia adjecif-  
 se: sed valor ille & pondus meritò & unice san-  
 guini Christi adscribitur. Conclusio: Ideò hoc  
 diaboli tentationibus & conscientiae moribus op-  
 ponamus.

De D.  
 Lauren-  
 tio fa-  
 bula.

OBSERVATIO. Non necesse est, ut  
 hæc 5. membra omnia simul & semel in  
 omnibus Usibus se offerant: sed sufficit,  
 pro qualitate materiæ & occasione tem-  
 poris, potiora expressisse.

III. Finis commoditas, in Ufu & Ap-  
 plicatione triplex est:

1. Fidei consensio, ad quam collimat  
 Refutatio.
2. Vitæ emendatio, cui subservit Ad-  
 hortatio & Dehortatio.
3. Abjecti animi recollectio, cujus mi-  
 nistra est Consolatio.

IV. Delectûs varietas, respicit aut usus  
 multos, aut paucos, aut præcipuos.

1. Multi Ufus inferendi sunt, quando  
 prostat 1. materiæ & articulorum brevi-  
 tas. 2. horæ superfluitas.

2. Pau-



2. Pauci tractandi sunt, quando evidens est, 1. Articulorum declaratorum prolixitas, 2. Temporis brevitatis.

3. Præcipui verò Usus attingendi sunt, ubi animadvertitur, 1. Hæreticorum protervitas, 2. manifesta Impœnitentium impietas. 3. Afflictorum calamitas & pusillanimitas.

## CAPUT VII.

### DE VSV LINGVARVM EXOTICARVM, ET ALLE- gatione Patrum ac Scriptorum Gentilium.

*Huius capitis quatuor sunt officia. 1. Tres diversas opiniones recenset. 2. Frequentem usum vel potius abusum rerum notatarum rejicit. 3. Mediocrem & tempestivum usum adserit, & 4. eundem defendit.*

Disputationem hoc loco subit quæstio, peregrinarum linguarum usurpationem, item provocationem ad Patres & Doctores primitivæ Ecclesiæ, atque profanorum Authorum allegationem, concernens; & quæritur, num licitum sit Concionatori latinè, græcè & hebrai-

cè fa-



cè sacrarum literarum, aut Patrum etiam & Ethnicorum dicta & facta proferre.

I. De hac re variant judicia Theologorum, & ne inter Orthodoxos sententiarum est convenientia.

Sunt enim in Ecclesia Christi magni nominis Theologi, qui, ut ipsi hoc genere sermonis pro suggesto non utuntur, ita illud, si ab aliis adhibetur, reprehendunt.

E contra sunt nonnulli etiam non infimæ autoritatis viri, qui Biblicis comprobationibus semper Antiquitatis, cum piæ, tum profanæ dicitæria & exempla addere, & per integros paragraphos latinè vel græcè loci consueverunt.

Nos mediâ incedentes viâ statuimus, illam ex Scriptoribus extra Biblia positæ, per linguas exoticas dissertationem, nec semper suscipiendam; nec semper omissendam: sed in ejus usu singularem moderationem & circumspectionem adhibendam esse.

II. Quo enim minùs omni tempore & loco, ejusmodi peregrina & ἀγχαφα adferri debeant, aut possint, obstant quatuor, videlicet:



i. Ruditas objecti, sive eorum Auditorum, qui Idiotaë sunt, & peregrinarum linguarum ignari; in quorum gratiam Paulus, I. Corinth. 14. per integrum ferè caput, linguam intelligibilem à Doctoribus Ecclesiæ requirit, & facti contrarii incommoda recenset. Sic enim ait: *Qui loquitur linguâ (peregrinâ) non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit vel intelligit. Si venero ad vos, fratres, linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? Atqui inanima, quæ sonum edunt, & tibia, & cithara, nisi distinctionem sonis dederint, quomodo cognoscetur, quod tibiâ canitur, aut citharâ? Etenim si inertum sonum tuba dederit, quis apparabitur ad bellum? Ita & vos, nisi per linguam edideritis bene significantem sermonem, quomodo cognoscetur quod dicitur? Eritis enim in aërem loquentes. Ecce enim genera linguarum multa sunt in mundo, & non est unum ex eis sine voce. Et si non intelligam vim vocis, sum barbarus ei, qui loquitur: & etiam is, qui loquitur, mihi est barbarus. Et paulò post: Gratias ago Deo meo, quod magis quàm vos omnes linguis loquar: Sed in Ecclesia malim quinque verba ex intelligentia mea loqui, ut & alios instituam, quàm decem millia verborum linguâ. Fratres ne*

*estote*



estote pueri intelligentia: sed malitia infantes, intelligentia autem adulti estote. In lege scriptam est, propterea per diversa lingua homines & alia labra loquar populo huic: & ita quoque me non audient, dicit Dominus. Linguae igitur sunt signum, non iis, qui credunt, sed infidelibus: prophetia verò non infidelibus, sed credentibus. Itaque si eodem loco convenerit tota Ecclesia, & omnes linguis loquantur, ingrediantur autem Idiota vel infideles, nonne dicent vos furere? Sed si omnes prophetent, ingrediatur autem infidelis quispiam, aut Idiota, arguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus.

Huc referri possunt iudicia Magnorum virorum de inani variarum linguarum jactantia, quae extant in vita D. Martini Lutheri. Sic autem habent verba Iohannis Matthesii concione 13. de historia Lutheri, pag. 145. b. & seq. Da einer wil ein Prediger werden / sol er sich darauff geben / daß er in der Kirchen die sachen / so er vorzutragen / gut deutsch außsprechen könne.

Es kompt traun einem deutschen Pfar-  
rer sehr schwer an / da er schon in Sprachen  
ziemlich erfahren / weñ er sol bey dem gemeinen  
Mann gut deutsch reden. Darumb ist es  
nicht wol gerathen / als bald sich einer ge-  
dencket zum Kirchendienst zu geben / daß er  
die deutsche Biblia lesst sein Zornal vnd täg-

lich



lich Handbuch seyn. Wer in Colloquiis vnd Conciliis disputirn / vnd die Widersacher / als Bischoff / Superintendens / Doctor vnd Professor / gewaltig vberweisen vnd widerlegen solle / der muß beyder Redekunst vnd Sprachen fertig seyn. Ein deutscher Pfarrer / sol bey deutschen Kirchen / von Gott vnd vnser Religion lernen gut deutsch reden.

Ein Heerprediger studirte im Wolff bey Wien / auff eine Griechische Predigt / da er vermeinet zu Constantinopel bey Grecken eine Predigt zu thun. Aber an gedanken vnd gespanntem Tuch / gehet viel ab.

D. Johan Pommer höret auff eine zeit einen Prediger in Sachsen / der lese das Evangelium deutsch aus einem Griechischen Testament: Mein Doctor sagt er / Versucht es ein mal / vnd leset das Evangelion aus Doctors deutschen Testament / was gilt es / es wird sich besser geben.

Zeh kante einen Schulmeister / der gedachte mit der zeit ein Prediger zu werden / der laß alle morgen seine deutsche Bibel mit guten fleiß. Zu dem kömpt ein ander berühmter Schulmeister / vnd sihet das deutsche buch auff seinem Tisch ligen / darinnen er viel gezeichnet / vnd so viel im möglich die Sprüche vnd Historien in Catechismum gezogen hat.



te. En. leset jr deutsch/sagt er/vnd soilt Sprachen lehren? Jetzt / sagt der ander/ bin ich ein Schulmeister / ich dencke aber mit der zeit deutschen Leuten zu predigen / darumb rüste ich mich auff solche wort/ damit ich die Lateinische vnd Griechische Sprach könne aussprechen für dem gemeinen Mann/das mans verstehen könne. Wie dieser gelerte Mann endlich. muste im alter ein Pfarrer werden/ vnd die erste Predigt thete / lieffen seine Pfarrkinder alle zur Kirchen hinaus/ als brennete es darinnen.

Derhalben vermane ich hiemit alle/so gedenden sich bey den Deutschen / ins Predigamt zu begeben/ das sie jnen lassen die deutschen Biblien lieb seyn / vnd derselben wort stetig brauchen / vnd kein stöllichen oder gesätzlein reden/ darinnen nicht auff's wenigste ein gut Biblisch wort mit eingefüret sey. Teutsch sol man auff der Cantzel bey den Deutschen predigen / sagt jener alter Pfarrer/ Lateinisch mag man singen/nach gelegenheit vnd bestem der Kirchen. Wer Hebraische Sprache in hohen Schulen/ oder bey seinen Colleggen lieset/der muß auch andere Sprachen können vnd reden.

Es verdrosß vnsern Docter (Lutherum) nicht ein wenig zu Schmalkalden/das etliche

I

Prediger



Prediger mit hebreischen Worten ansingen/  
vnd parlarten mit *Adoni, Kyrie, Domine* he-  
rein: Sie geben nicht gute Lehren-ader *Baw-*  
*renprediger*/sie brocken zu viel *latein / gree-*  
*isch vnd hebreisch* mit ein. Wir/ sagt er am  
Tische/betē ein Vater vnser im namen Chri-  
sti / vnd lassens Gott walten / der erhalte  
vnser nachkōmen in solcher einfalt/Amen.

*Hactenus Matthesius. Videatur nunc alterum  
obstaculum.*

2. Perspicuitas subjecti, hoc est, ma-  
teria in sacris literis satis fundata, quæ  
facit, ut humano & peregrino testimo-  
nio carere queamus. Rectè enim dictum  
est à Siracide cap. 34. 8. ἀνὰ ψαύδους σω-  
τελεσθήσεται νόμος, καὶ σοφία σώματα πρὸς  
τελείωσις. Quod Lutherus sic reddidit:  
Man darff keiner Lügen darzu / daß man  
Gottes wort halte / vnd man hat gnug an  
Gottes wort/ wenn man recht lehren wil. Et  
à Petro 1. epist. 4, 10. qui loquitur, sermo-  
nes Dei loquatur. Item 2. Petr. 1, 16. non  
arte compositas fabulas secuti, notam  
vobis fecimus Domini nostri Iesu Chri-  
sti potentiam.

3. Notoria autoritas invec̄ti. Etenim  
ad probanda dogmata tantum scripta  
Biblica, & præcipuè ea, quæ in canone

sunt.



sunt, sufficiunt, quibus alia temerè non sunt addenda, ne prærogativa scripturæ authenticæ in animis Auditorum evanescat, vel ad minimum in dubium vocetur.

4. Divinitas & sanctitas effecti, hoc est, Spiritus sancti operatio & efficacitas, in causa est, ne hominum suffragia in concionibus sacris de necessitate conquiramus, Illa enim se exerit, non per dicta & facta Gentilium, sed per Evangelium, quod est potentia DEI, ad salutem omni credenti, Roman. 1, 16. Ideò Apostolus dicit 1. Corinth. 2, 1. & seqq. Cum venissem ad vos, fratres, veni, non in sublimitate sermonis & sapientiæ, annuncians vobis testimonium Christi: & sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.

Itaq; quotiescunq; Concionator animadvertit, peregrina vocabula, aut testimoniorum extra Biblia conquisitorum allegata, vel Idiotas & simplicem plebeculam perturbare & defatigare, vel Canonicos scripturæ libros enervare,



& reliquos cum his æquare, vel Spiritus sancti operationem impedire, vel incertitas incertorum Autorum res & fabulas profeminare, libentiùs intermittat, & ab omnibus, quæ Biblica non sunt, abtineat.

III. Econtra moderatus prædictæ rei usus, locum in sacris concionibus habere ritè potest, si observentur sequentes quatuor conditiones.

1. Virorum doctorum & juventutis studiosæ præsentia: si nimirum præstò sunt eruditorum aliqui, & cœtus scholasticus, qui exinde ædificari possunt.

*Sed obijcitur hic, interea negligi simpliciores, quibus coherentia sermonis interrumpatur, & facile nausea moveatur. Ad quod respondemus: multa etiam trita & notissima pro rudioribus proferri, posthabito desiderio provectorum; observandum itaq; ex utraq; parte illud Paulinum, Gal. 6, 2. Alter alterius onus portato.*

2. Desiderata verborum prælectorum intelligentia. Interdum enim materia ita comparata est, ut vix aliter, quam per exoticas linguas & historias mundanas tractari queat.

*Hæc non pugnant cum iis, quæ suprâ in secundæ questionis nota secundâ, illata sunt. Vtrumq;*

*enim*



enim verum est, & carere possumus testimonio humano in tradendis ac confirmandis dogmatibus, & eodem carere non possumus, in declarandis Textibus, illustrandiq; materiis per scripturam sacram confirmatis. Aliud enim est confirmatio aliud declaratio.

3 Expositionis per linguam vernaculam convenientia. Alienigenarum namque vocum redditio, perspicuis linguæ vernaculæ verbis, si perficitur, res nihil incommodi habet.

4. Determinata Autorum allegatorum differentia. Concionator enim prudenter & discretè singula proferre, hoc est, sacra ceu indubitata Spiritus sancti oracula præmittere: reliqua verò, veluti subsidia, additâ admonitiunculâ, de qualitate & autoritate pronunciati, ceu testimonia humana postponat.

IV. Probamus hoc nostrum institutum duab. gravissimis rationibus, quarum prior sumpta est ab autoritate, altera verò ab utilitate. Primò, autoritatem quod attinet, ducimus eam non à Neotericis præcipuè Theologis Iohanne Matthesio, D. Iohanne Brentio, Luca Pollione, D. Polycarpo Lysero, D. Georgio Mylio, D. Salomone Gesnero, D.



Georgio Weinrichio, Gregorio Strigenicio, quorum homiliae variis dictorum, similium & historiarum floribus referatae & exornatae leguntur: neque etiam primario à priscis Ecclesiarum Doctoribus, Basilio, Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, quibus ejusmodi allegata etiam usitatissima fuerunt: sed principaliter ab ipso Paulo auctoritatem & exemplum capimus, qui certè aliquem linguae peregrinae usum, in sua illa limitatione permisit, I. Corinth. 14. 5. & 6. ubi inquit: *Velim ut vos omnes loquamini linguis, magis verò ut prophetetis: Major enim estis, qui prophetat, quàm qui loquitur linguâ, nisi interpretetur: Si autem interpretetur, Ecclesiam aedificat. Observatur restrictio, nisi interpretetur; Es hat ein nisi, sagt jener.*

Imò, quòd ille ipse Apostolus Ethnicorum scripta citaverit, conciones & epistolae palàm testantur. Etenim Actor. 17, 28. dum Athenis in Areopago, quod collis Martius sive celeberrimum forum erat, ubi concionibus & consiliis locus dabatur, concionem haberet, allegavit Aratum, antiquissimum, & Anno Mundi 3690. viventem, Graecorum Poetam.

Solen-



Solensem, eâ tamen circumspectione, ut nomen hominis gentilis non exprimeretur. Verba sic leguntur in Actis: Quidam vestratium Poëtarum dixerunt: τὸ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν. Hujus enim progenies fumus. Item ex Menandri Comici Atheniensis, qui obiit An. Mundi 3680. Thaide, adfert sententiam 1. Corinth. 15, 33. Φθειρασιν ἤθη χρεῖσθ' ὁμιλίαι κακαί. Corruptunt mores bonos colloquia prava. Denique ad Titum 1, 12. versus Epimenidis Poëtæ Cretensis, qui circiter Annum Mundi 3369. floruit, inseritur his verbis: Dixit quidam ex istis, proprius ipsorum Propheta:

Κρητὸς αἰεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. (pigri.)

*Cretenses semper mendaces, malæ bestiae, ventres*

Cæterum ut, pro secundo argumento, de utilitate quoque aliquid moneamus, perpendenda ea est, secundum diversos casus, videlicet 1. Membrorum per terminos enunciationem. 2. Grammaticam vocabulorum expositionem. 3. Patrum citationem. 4. Gentilium scriptorum allegationem. De singulis seorsim agemus.

I. Terminis, coram Auditoribus à



noticia latinæ linguæ non prorsus alienis, utimur, tribus de causis.

1. Propter recordationis facilitatem. Iuvant enim mirificè memoriam & docentium & discipulorum, ita ut quilibet mediocriter literatus atq; attentus, ex vocabulorum illa concinnatione, nervum concionis percipere, & vicissim ordinè reddere cum multo fructu possit. Exemplo sit dispositio concionis super Evangelium Dom. 2. post Trinitatis Luca 14. 1. De liberali DEI convivio. 1 1. De impio hominum tædio. PRIMÒ, Convivium liberale est, & cœna magna dicitur 1. propter hospitiis opulentiam, 2. propter ciborum convenientiam, 3. propter universalis accessus licentiam, 4. propter temporis & durationis frequentiam, SECUNDO, duo vitia in invitatis deprehenduntur, 1. ἀχαρισία 2. ἀπειθοσία. Prius ut nollem, posterius ut cum vellem, non possent cœnâ frui contemptores, in causa erat.

2. Propter emphaticorum vocabulorum nervositatem. Hæc non meis probabo cogitatis, sed clarissimi & in omni liberali inventionem felicissimi Theologi, Doctoris Salomonis Gesneri p. m. meditationes sive præfationem, Dissertationibus in Daniele præfixam allegabo. Sic autem is effert terrorem Antichristo Romano & Asserlis incussum, ex verbis Danielis cap. 11, 44.

Terruit

Domin.  
2. post  
Trinit.  
Luca 14.



Terruit eos 1. doctrinae claritas. 2. Lutherani & Evangelici elenchi soliditas. 3. Incredibilis Lutheri magnanimitas. 4. Incredibilis doctrinae Lutheranae successus & felicitas. Iudicet autem pius quisq; , an non hisce vocabulis singulis, gravitas & pondus insit?

Anti-christi Romani terror, eiusque cause.

4. Propter concentus mirificè afficientis suavitatem. Æstimari hoc potest, cum ex infinitis aliis exemplis, tum præcipue ex verbis Augustini, qui dicit; In vita æterna erit, festivitas sine fine, æternitas sine labe, serenitas sine nube.

Augustini de vita æterna.

NOTA. Cum scioli nonnulli obveniant, terminationum nostrarum usum, non modò non adhibentes, quod in cuiusvis certè libertate est positum: sed etiam in aliis, quibus donum hoc familiare est, reprehedentes, hoc loco brevissimè ad istorum argumenta respondendum erit.

I. Objectio. Erasmus Roterodamus in libro, quem inscribit Ecclesiasten, de veteribus Ecclesiasticis Scriptoribus sic scribit, libr. 2. Gregorius simplex & pius est in concionibus: Verùm pro temporum illorum ratione, gaudet membris & incisissimiliter cadentibus, ac similiter desinētibus, quem admodum & Augustinus, quæ si nunc affectet Ecclesiastes, ineptus videatur, E. mera sunt ineptia.

Erasmi iudicium de Augustino Gregorio

Respond. 1. Erasmus quidem sapientibus mundi acconsetur, eo tamen loco à nobis non habetur,



ut in Theologia aut foro Ministeriali nos informare possit. Deus enim occultavit hoc secularibus, & revelavit parvulis, Matth. 11, 25. 2. Profertur istud absq; ratione. Non enim edisserit Erasmus, cur modus ille docendi, eam suavitatem in nostratum concionibus obtinere non possit, quam tamen in Augustino & Gregorio obtinuit. 3. Si revivisceret jam Erasmus, suâ confusione experiri cogeretur, plurimos præclare dotatos viros, cum Augustino & Gregorio, quoad ὁμοιόπρωτα & ὁμοιοτέλεια loqui, & tamen non ineptos videri. 4. Si tot boni viri, qui hodierno seculo terminis utuntur, Erasmanis ineptire videntur, sustinebunt facile, memores illius, quod de iniquo judicantibus Sapient. 5, 3. extat: hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, &c.

II. Objectio. Enunciationes illæ per terminos consonantes plerunq; sunt contortæ. E. ab illis abstinendum. Respon. 1. Major, quæ in hoc Enthymemate supprimitur, falsa est. Non enim omnis ligatura sermonis, ob justam vocabulorum & syllabarum collocationem, abolenda & vitanda est, aliàs poëtica etiam negligenda esset. 2. Violentâ vocum torsione opus non est, si concionator, verborum & nominum similiter desinentium farraginem sibi acquisiverit, & in tabula descriptam inspexerit.

Vt autem eò magis longiusve tedium Zoili

à ty-



à tyronum desiderio removeatur, en collectura illius mox specimen edam, Incipientibus ad majoris copiae comparationem, viam paraturus.

Notentur autem initio Nomina in IU M: ut, Ministerium, mysterium, beneficium, indicium, iudicium, officium, convicium, studium, martyrium, Evangelium, pretium, medium, praelium, tedium, exilium, remedium, excidium, supplicium, itinerarium, privilegium, consilium, refugium, auxilium, subsidium, colloquium, compendium; dispendium, obsequium, refrigerium, suspirium, testimonium, dissidium, demonium, vaticinium, praconium, vadimonium, principium, sacrificium, effugium.

Consignentur Nomina foeminina in ITAS, quorum in nominativo, genitivo, accusativo & ablativo magnus hoc loco est usus: Celsitas, aeternitas, celebritas, prosperitas, serenitas, tranquillitas, festivitas, brevitates, prolixitas, paucitas, pluralitas, bonitas, gravitas, severitas, longanimitas, beatitas, parvitas, nocivitas, commoditas, incommoditas, utilitas, immensitas, veritas, civilitas, rusticitas, urbanitas, aequalitas, malignitas, felicitas, infelicitas, laboriositas, lubricitas, formositas, horribilitas, sagacitas, periculositas, atrocitas, perennitas, perpetuitas, securitas, &c. Quibus adduntur: voluntas, voluptas, facultas, potestas, majestas, &c.

Colli



Colligantur nomina in U D O : ut multi-  
tudo, amaritudo, magnitudo, aptitudo, inepti-  
tudo, ægritudo, solitudo, sollicitudo, inquietudo,  
certitudo, turpitudō, firmitudo, pœnitudo, ampli-  
tudo, fortitudo, rectitudo, similitudo, dissimilitu-  
do, celsitudo, beatitudo, latitudo, longitudo, ne-  
cessitudo, mœstitudo, mansuetudo, consuetudo,  
desuetudo, promptitudo, valetudo, pulchritudo,  
plenitudo, hebetudo, lassitudo, &c.

Coacerventur desinentia in ENTUM:  
ut Sacramentum, firmamentum, inventum, ele-  
mentum, experimentum, argumentum, orna-  
mentum, complementum, emolumentum, stabi-  
limentum, adiumentum, oblectamentum, muni-  
mentum, iuramentum, vestimentum, impedi-  
mentum, incitamentum, instrumentum, nutri-  
mentum, nocumentum, rudimentum, &c.

Item nomina terminationem U R A  
habentia: ut, scriptura, cura, clausura, usura, tor-  
tura, natura, mensura, censura, figura, factura,  
structura, litura, ligatura, impostura, questura,  
creatura, sectura, mercatura, fractura, ruptura,  
armatura, &c.

Nomina quoq; desinentia in I N A : ut  
doctrina, medicina, disciplina, sentina, piscina,  
ruina, carnificina, rapina, &c.

Desinentia in A T U S : ut, Principatus,  
dominatus, ducatus, eiulatus, cruciatus, papa-  
tus,



tus, comitatus, ploratus, reatus, pastoratus, equitatus, apparatus, &c.

In A M E N finientia : ut tentamen, gravamen, examen, levamen, conamen, solamen, &c.

Quæ in fine ENTIA habent : ut, diligentia, præcellētia, præ eminentia, opulētia, abstinentia, concupscientia, fraudulentia, conscientia, invidentia, magnificētia, reverentia, scientia, providentia, benevolentia, confidentia, diffidentia, negligentia, frequentia, licentia, obedientia, sententia, patientia, pœnitentia, potentia, convenientia, præsentia, differentia, intelligentia, indigentia, evidentia, condolentia, attinentia, violentia, innocentia, insolentia, &c.

Nec non in ANFIA : ut, tolerantia, constantia, concordantia, arrogantia, præcipitantia, abundantia, consonantia, discrepantia, temperantia, ignorantia, &c.

Nomina iu U L U M : ut, offendiculum, miraculum, signaculum, periculum, vehiculum, speculum, adminiculum, stabulum, ergastuium, pabulum, habitaculum, vinculum, propugnaculum, cœnaculum, latibulum, perpendiculum, vestibulum, conventiculum, &c.

Hiscæ accenseantur Adiectiva in ILIS : ut, nobilis, mobilis, penetrabilis, scibilis, sensibilis, credibilis,



dibilis visibilis, invisibilis, flexibilis, corruptibilis, aspectabilis, conducibilis, inhabilis, mirabilis, delectabilis, amabilis, instabilis, tractabilis, affabilis, sanabilis, &c.

Item in O S U S : ut, rixosus, vinosus, ociosus, obliviosus, operosus, fastuosus, copiosus, leprosus, studiosus, ignominiosus, calamitosus, curiosus, captiosus, negociosus, caliginosus, &c.

Porro verborum similiter cadentium numerus penè infinitus, & studioso Theologiae difficile non est, illorum, secundum omnes flexiones, copiam sibi conscribere, modo videat, ut potissimum per gerundia in DO proferantur: ut, creando, conservando, sustentando, amando, congregando, iustificando, salvando, glorificando, ornando, exercendo, percipiendo, nutriendo, vestiendo, & innumera alia.

Hæc simplicioribus ostendo ipse simplex, certò sciens, rem per Dei gratiam, absq; ullâ verbis illatâ vi institui convenienter posse, utut abnuat Momus, quem ad subtilitates ex atomis colligendas ablegamus: carduis enim vescitur, non asparagis.

Tantum de terminis puerilibus quidem, sed utilibus.

II. Grammatica vocabulorum examinatio, non omninò negligi potest, præsertim in tribus casibus:



1. In expressa vocis peregrinae lectione. Occurrit enim interdum in ipso Bibliorum textu vocabulum exoticum, ubi phrasim, imo ipse Spiritus Sanctus, ad ejusmodi grammaticam enodationem nos adigere videtur. Exempli gratia in libro Ruth 1. 20. dicit socrus Ruthae: ne vocate me Naemi, vocate me Marah, quod Dn. amaritudine me affecit valde. Hoc in loco concionator commodè, rationem ex fontibus addere potest, quod prius nomen pulchrum, à מַרְיָם *svavis & amœnus* fuit: posterius autem מַרָּה *amaram & dolore affectam*, significet. Talia multa occurrunt in explanationibus materiaram sacrarum, ut Halleluia, id est, laudate Dominum, congruens cum nostra invitatoria compellatione, Oremus: Selah, quod septuagies & semel in Psalmis, ter autem in Prophetia Habacuc extat, & consternationem, seu potius & concentus & attentionis interstitium denotat: Amen, quod certè, verè, exponitur. Et innumera alia, qua linguarum peregrinarum adminiculo, explicanda veniunt.

2. In vitiosa versione. Variantibus enim translationibus Biblicis, semper ad fontes recurrendum, & hæreticorum falsitates, ex S. sancti familiari lingua refutanda est. ut si dictum Rom. 3. Arbitramur quod per finem iustificatur homo, non per opera legis,

Halleluia.

Selah.

Amen.

Super dictum Rom. 3.

legis,



legis, tractandum pro concione offeretur, græcum verbum λογίζεσθαι necessario attingendum & exprimendum esset. Etenim ne quis ex auditoribus in Pontificiorum sententiam laberetur, doctrinam de fide iustificante esse meram opinionem, arbitrio hominum inventam, concionator fontes consulere & vim verbi λογίζομαι, quod ratiocinor, firmis & certis argumentis colligo & statuo significat, eruere cogeretur.

Festio Purificationis Evangel. Luc. 2.

3. In emphaticæ significationis expressione: ut in Cantico Simeonis. Luc. 2. verbum ἀπολύει ponderandū occurrit, quod non simpliciter dimittere, sed solvere significat; ubi Simeon non de nuda dimissione, sed de solutione, quæ navibus, alligatis equis & incarceratis sive compede vinculis contingit, loquitur.

III. Patrum testimonia, parcè & suo loco citata tolerari possunt, tres ob causas:

I. Propter antiquitatis consensionem. In tractatione enim materialium controversarum, quando adversarii criminantur, nostrum dogma recens vel à Luthero, vel à Brentio excogitatum esse, suffragia veterum Doctorum locum & usum convenienter habere poterunt. Sic: ab locum de Ecclesia facit dictum Augustini: in scripturis didicimus Christum, in scripturis di-

dicimus



dicimus Ecclesiam, has scripturas communiter habemus: quare non in eis & Christum & Ecclesiam communiter retinemus? Item Bernardi sententia: Non sanctorum filij sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.

2. Propter sapientem dubiorum quorundam decisionem.

Huc pertinet iudicium Augustini, de sepulturis: Exequiæ piorum, sunt solatia vivorum; non subsidia mortuorum. Item Nazianzeni pronuntiatum de pace: Melior est talis pugna, quæ Deo proximum facit, quàm pax illa, quæ separat à DEO.

3. Propter meditationum devotionem. Ut, Chrysostomus: Cadit animal, & est, qui sublevat: perit anima, & non est, qui recogitat. Exempla alia peti possunt ex Bernardo, & Augustini lib. de soliloquiis.

IV. Denique historicorum & Poëtarum Ethnicorum scripta nonnunquam sobriè & temperatè citari possunt, idque triplici in casu.

1. In prophetiarum & aliorum quoque textuum declaratione. Vaticinia enim de quatuor Monarchiis & regno Papatûs, absque secularium historicorum commentariis nunquam intelligi queunt: & multæ parabolæ & similitudines

Augustinus de Ecclesiis. Bernh. de Eccl.

Augustinus de sepultura. Nazian. de pace.

Chrysostomus de securitate.

M in sa-



in sacris literis, de serpentibus, Matth. 10. de hyæna, Sirac. 13. de cervis, Psal. 42. & infinitæ aliæ, requirunt, ut Physicorum Aristotelis, Plinij, & aliorum historias consulamus. Id Dn. Philip. Melancthon in præfatione Chronicorum D. Caspar Heidonis, dicit, sine auxilio Chronicorum neminem Prophe-  
 tas intelligere posse.

Sic D. Iohannes Pappus septimum caput Danielis, illiusq; prædictionis eventum, ex Romanorum & Turcarum historia diducit & demonstrat.

Sic D. Salomon Gesnerus in expositione Psalmi 42. præter Augustinum & Arnobium, etiam Plinium ac Aristotelem allegat, ut sequitur: Desiderium templi & cultus divini Psaltes acerrimæ siti comparat, eamq; exemplo cervorum explicat: cuius quidem imaginis Augustinus & alij tres adducunt rationes. Nam cervi in venatione canibus undiq; cincti & agitati, siti vehementer affliguntur, & ut Aristoteles lib. 6. historie animalium cap. 39. dicit: Ἀγρὸν τὸ καὶ μὲν, καὶ τὸ ἀδύνατον φέρει. γὰρ οἱ εἰς τὸ ὕδωρ, propter ardorem & æstum fugiunt in aquam. Deinde acerrimi sunt cursus, ut ad aquas celerrimè accurrere, & sitim restinguere queant. Deniq; de cervis Plinius lib. 8. cap. 32. & lib. 38. cap. 9. & alibi: Augustinus item, Arnobius aliq; testantur, quod viribus destituti ad

caver-



cavernas serpentum accedere, eosq; anhelitu suo exhalare soleant: Postquam verò serpentes progressi sunt, pedibus proculcant & devorant: venenum autem vehementissimam in illis sitim excitat: itaq; ad flumina, quanto possunt impetu, properant, atq; ita non modò sitim restinguunt, sed per ejusmodi purgationem vires novas recipiunt, vitamq; in longissimam ætatem producant. Has ob causas David, cum maximum suum desiderium, erga cultum divini numinis exprimere vellet, cervine siti comparavit.

2. In Comparatione. Si enim Ethnici, ex rationis ductu, virtutis amorem & vitiorum detestationem sectati sint, Christianis illud magis convenire, ejusmodi sententiis docetur. Ut, si Scipio, capta Carthagine, nobilium & præstantium fœminarum, ad ipsum adductarum pudicitia pepercit, illasq; intactas suis reddidit: & si Zaleucus Locrensiùm legislator, tam justus & æquus fuit, ut noluerit legem de utroq; mœchis oculo eruendo infringere, sed sibi unum, & filio contra statuta peccanti, alterum oculum effodi maluerit. Ergò multò magis Christiani, castitati & justiciis studere debent.

Scipionis  
castitas.

Zaleuci  
stricta æ-  
quitas.

1. In antithesis demonstratione. Etenim in mundanis historiis offeruntur exempla, aut contraria, aut non perfectè



*Domin.  
Vocem  
Iucund.  
Iohan. 16*

similia, iis rebus, quæ in verbo Dei nobis inculcantur. *Vt, Dominica Vocem Iucunditatis, ex Evangelio Iohan. 16. doctrina de invocando Deo patre in nomine Filij, aliquo modo illustrior redditur, exhibitis Ethnicæ invocationis tenebris, & allegatis Hecubæ votis ex Euripide. Sic enim illa invocat: O Iupiter quisquæ es, difficilis cognitu; qui terram regis, sive necessitate, sive consilio.*

*Super 1.  
Thess. 4.*

*Item D. Aegidius Hunnius super verba: Nolo vos ignorare fratres, 1. Thess. 4. in concione funebri Lucae Lyseri, epistolam Servij Sulpitij, qua Ciceronem, filia Tullia mortem lugentem, consolatur, infert, & demonstrat, argumenta Sulpitij, à perturbato Reipub. statu, & florentissimarum urbium in Asia, & clarissimorum virorum clade sumpta, nimis languida & infirma esse, & consolationum Theologicarum fundamentis & efficacia, ne in minutissimis respondere posse.*

## CAPUT VIII. DE CONCLUSIONE.

*Examinatur hoc capite conclusionis. 1. materia & forma. 2. Finis. 3. delectus.*

I. Materia & forma conjunctim considerantur duplici modo:

Primò, secundum partes non semper

necessa-



necessarias, videlicet, 1. sermonis abruptionem. 2. partium tractatarum repetitionem. 3. futuræ tractationis promissionem. 4. Affectuum commotionem. Deinde, secundum partes semper necessarias, ex quibus præcipua judicatur voti annexio.

II. Finis conclusionis respicit 1. Memoriae renovationem. 2. Animorum flexionem. 3. Divini auxilii implorationem.

III. Delectus instituitur ratione membrorum aut omnium, aut aliquorum.

Omnia membra conclusionis introducuntur circumstantiis tribus consideratis, videlicet, 1. tempore adhuc restante. 2. Materia non excrecente. 3. segnitie auditorum se ostendente.

Aliqua membra adhibentur, & aliqua abbreviantur, 1. propter materiae copiam, 2. propter temporis angustiam

## C A P U T IX.

### D E D I F F E R E N T I I S

METHODI PARAPHRASTICÆ

& articulatæ.

Hæ duæ methodi tripliciter differunt.

M 3

i. pro



I. Propositionis principalis qualitate, quæ in paraphrastica forma merè textualis est, disponens prælectæ materiæ circumstantias, vel partes alias: in Articulata autem status, sive principalis propositio, merè doctrinalis est, proponens locum theologicum, seu articulum fidei. Ut, Domin. 11. post Trinit. ex Evangelio Luc. 18. secundum paraphrasticam methodum, formantur quæstiones textuales. 1. de parabola à Christo propositæ occasione. 2. de personarum in parabola descriptione. 3. de parabola accommo- datione. At si locales quæstiones, in quibus textus nulla fit mentio, proponuntur, arguunt, futuram esse ἐπιτομὴν juxta methodum Articulatã, videlicet, 1. de pœnitentiæ obstaculis, 2. de eiusdem adminiculis.

II. Differunt Doctrinarum quantitate. In una enim paraphrasticæ methodi concione, multi loci, & quidem minimè cognati sæpe confluunt: Methodus autem articulata tantum unius loci, licet per certas quæstiones & membra dispositi, aut eorum, qui confines sunt: & connexam materiam spectant, enodatione gaudet. Ut Dominica Exaudi Evangelium Iohan. 15. & 16. iuxta methodum textualem varios locos suggerit, videlicet, de Spiritus S. dono, datore

Domin.  
11. post  
Trin.  
Luc. 18.

Domini.  
Exaudi  
Iohan.  
5. & 16.



datore & officio, de Evangelio, quod testimonium dicitur, de scandalo, de odio mundi adversus Evangelium ac eius ministros, de excommunicatione, de peccato in Spiritum sanctum, de Ecclesia vera & falsa, de prætextu & excusatione peccatorum: sed secundum methodum Articulatam includi possunt omnes textus nervi, & præcipui loci, duabus quæstionibus, videlicet. 1. de summa Dei erga homines mansuetudine. 2. de extrema mundi erga Deum ingratitude. Prius præstitit Christus cum parte duobus modis, 1. Spiritum sanctum mittendo. 2. pios ob imminentes calamitates præmonendo. In missione Spiritus S. apparet, 1. Mittentis celsitas. 2. Missi utilitas. 3. Missionis facilitas. Donatur enim & mittitur sine pretio S. S. Posterius tribus modis à mundo expeditum redditur, 1. piorum excommunicatione. 2. Eorundem occisione. 3. peccatorum extenuatione.

III. Differunt textus localitate. In paraphrastica enim methodo textus dominatur, & peculiarem concionis partem sibi vendicat: in Articulate vero textus ancillatur, & saltem doctrinis confirmationis gratiâ, subjungitur.

Exempla non nisi ex integris concionibus peti possunt.

M

¶

CAPUT



C A P U T X.  
D E C O M M O D I T A T I -  
B U S M E T H O D I A R T I C U L A T Æ.

Præfertur Articulata methodus Textuali, in materiis præfertim anniverſariis, & ſuam præ eminentem prærogativam habet, propter 4. cauſas.

I, Propter crebram & commodam in explicandis Evangeliiſ & Epistolis variationem. Paraphraſtici enim concionatores, fermè quotannis ea, quæ antea tractata fuerunt, reponunt, & rarò Locos, textus verò ſenſum nunquam mutare poſſunt; cum è contra Articulatæ methodi obſervantes, unius textus pericopen, ad quinque, ſex, ſeptem & plurius concionum diſpoſitiones variabiles & delectabiles, redigere queant. Evidentia rei, exempli gratia, videatur in Evangelio Domin. Reminiſcere, Matth. 15. Paraphraſtici ex illo proponunt quæſtiones vulgares, 1. Quid Cananea tribus vicibus à Domino petierit. 2. Quid reſponſi detulerit. 3. Quomodo tandem exaudita fuerit. Si autem, quibus Methodus Articulata in uſu eſt, auditorum ſuorum literatorum appetitui, doctis & artiſicioſis inventionibus occurrere, & proximis quinque, aut ſex annis diſtin-

tis va-

Domini-  
ca Remi-  
niſ.  
Matth.  
15.



ctis variationibus vacare, & tamen in illis simpliciores, nullo modo negligere solent. Anno enim I. agere quis potest: de calamitatum 1. gravamine, 2. Earundem sublevamine. Prius membratim deducitur, quòd videlicet consistat. I. In Diaboli exagitatione. 2. In varia liberorum infirmitate. 3. In parentum compassione. 4. In frustra-nea ad tempus oratione. Posterius examinatur, iuxta sublevationem humanam, quam parentes ferunt; & divinam, quæ solius Christi est.

Anno II. de tentationibus 1. Diabolicis. 2. Divinis.

III. de *Φιλοσοφία* 1. hominum, 2. Dei erga Iudæos & gentes fideles.

IV. De Oracionis 1. incitamentis. 2. impedimentis. 3. adiumentis.

V. De Ecclesia collecta 1. ex Iudæis. 2. ex Gentibus.

VI. De fidei 1. ortu. 2. progressu. 3. eventu.

Hæ inventiones omnes & singule ex commemorato Evangelio ita possunt per Dei gratiam diduci, ut ubiq; textus appositè insertus appareat.

II. Propter latiore & accuratio-rem Locorum communium tractatio-nem. Articulata enim methodus singulis Dominicis peculiarem doctrinam & fidei articulum proponit, atq; ex funda-mentis eruit & enucleat; Paraphrastica



verò multas, nec non varias doctrinas simul, & ut planius edisseram, unicâ concione, octo, decem, & plures interdum locos exhibet, non sine singulari & incommoda materiarum abbreviatione, aut auditorum nimia detentione. *Comprobatur hoc praxi & usu.*

III. Propter commodam & succinctam longissimorum textuum expeditionem. Tractaturus enim unâ concione integrum caput Biblicum, aut alium quempiam oblongum textum, per paraphrasticam methodum in præcipuarum circumstantiarum excussione, & variarum doctrinarum extructione nimium detinebitur, ut vix unam atq; alteram partem absolvat: sed inventionum & methodi articulatae beneficio omnia compendiosius coarctare poterit.

*Exemplum propono, 15. caput Lucae, quod in multis Ecclesiis integrum loco Evangelij Dominica 3. post Trinitatis prælegitur, & unica homilia, mediante methodo Articulatâ, explicari commodius potest, quàm paraphrasticæ legibus. Si autem formandæ sunt quæstiones: 1. de statu hominis ante lapsum felicissimo. 2. De statu eiusdem post lapsum tristissimo. 3. De medio conversionis convenientissimo. 4. De justiciariorum livore erga*

*pœni.*

*Domini.  
3. post  
Trinit.  
Luca 15.*



pœnitentes fastuosissimo. His questionibus omnes nervi Textus respondent. Prius explicatur per parabolarum obiecta. Consideratur enim status hominis ante lapsum. I. quo ad fidelem in ovile paradisi collectionem, 2. quo ad imaginis divina impressionem. 3. quo ad DEI filiationem. II. Post lapsum secuta est 1. mentis aberrans cœcitas. 2. in voluntate perversitas, 2. in corde pravitas. Ovis enim ab ovili recessit, grossus rotundus, quo notatur homo libero arbitrio præditus, in rimas ad æruginem decurrit, & Acolastus depravatos affectus, nempe odium erga parentem, & illicitum amorem erga pellices, fovit. III. Media conversionis considerantur, partim quo ad Deum, partim quo ad homines. Deus vocat ad pœnitentiam 1. oves quærendo. 2. lumen accendendo. 3. scopis domum perstringendo. 4. calamitates immittendo. 5. obviam prosedendo. 6. amplexando. 7. vestes & cibum suggerendo. Ex parte autem hominis conversionis medium est 1. pœnitentia, ostensa in contritione, agnitione, confessione & doloris passione. 2. Confidentia, in patris 1. benevolentiam. 2. opulentiam.

IV. Iusticiariorum erga pœnitentes animadvertitur 1. hypocritica iactantia. Tot annis tibi servio. 2. erga patrem cœlestem repugnantia. 3. erga fratrem malevolentia.

I V. Propter ingeniosam inventionem

Hominis status ante lapsum, post lapsum & in conversione.



nem & Textus ad qualvis materias & tempora adaptationem. Si enim Epistola ad Evangelii scopum referenda, vel Evangelium ad præsens tempus casumve peculiarem, sive nuptialem sive funebrem, sive aliquem alium, utpote concionem *δογματικὴν*, aut valedictoriam, aut investituram alicujus novi Ministri concernentem, accommodandum est, rarissimè paraphraseos vestigiis insistere possumus: sed plerunque ad usum Articulate formæ remittimur.

*Domin. 5.  
post Tri-  
nit. Luc.  
5.*

*Exempli gratiâ: accidit ut mihi, Hildesiam ad regendas Ecclesias, Anno 1600. legitime vocato, concio *δογματικὴν*, Dominica 5. post Trinitatis, ex Evangelio Lucæ 5. habenda fuerit. Cumq̄ viderem Auditores nihil magis in votis habere, quàm bono & fideli animarum pastore dotari, nolui, vel de piscatura & laboribus œconomicis, vel de corporali Dei benedictione, sermonem insinuerè; sed ut Ecclesia de me, & ego vicissim de Auditoribus, bene sperare possemus, indicatum Textum, ad præsentem casum accommodavi totum, & egi*

- 1. de Ministri Ecclesiæ proprietatibus.*
- 2. de Auditorum virtutibus.*

*Proprietates septem in Textu indicantur. 1. Orthodoxæ doctrinæ cœlestis professio. Christus enim extra Ierusalem habuit concionem, nolens coinquinatam Pharisæorum*

*Mini-  
strorum  
Ecclesiæ  
proprie-  
tates.*



cathedram occupare. 2. *Patiens crucis & afflictionis participatio.* Servator enim in fluctuante navicula, non sine periculo, officium suum peregit. 3. *Prudens temeritatis & periculi devitatio.* Dominus enim non mare ingressus, sed navi usus est. 4. *Industria laboriosi officij executio.* Etenim *Ministri Ecclesiae* debent per totam noctem laborare. 5. *Iusta ac conveniens legis & Evangelij praedicatio.* Ad spiritualem enim hominum piscaturam, & lignum legis compulsoriale, & rete Evangelij adbibetur. 6. *Collegialis consiliorum & laborum communicatio.* Petrus enim in captura piscium auxilio sociorum utitur. 7. *Humilis propriae infirmitatis confessio.* Petrus enim propriam suam confitetur indignitatem. *Officium Auditorum duplex requiritur: 1. Ardens in audiendo Dei verbo studium.* Multitudo enim audientium verbum, Dominum ad navigium captandum adigit. 2. *Debitum ad Praeconum monitiones obsequium.* Ad mandatum enim Doctoris Christi Petrus retia laxat.

*Auditorum officium.*

In consimili casu concionem primam hic Islebii, Feste Ascensionis Christi, Anno 1607. habui, & praetermissa doctrina festivitatis propriae, negotium, quod illustris & Clementissimus meus Magistratus & Auditores omnes mentibusolvebant & revolvebant, meo etiam loco, quo ad mutuam nostri recognitionem promovendam, profe-

qui



Festo Ascensionis  
Marc. 16.

Ministri  
Ecclesie  
quibus  
modis  
prepara-  
rentur.

Mini-  
strorum  
verbi in-  
structio.

qui volui. Quatuor autem quaestiones ex Evangelio  
Marci 16. pertractavi. 1. De divina Ministrorum  
verbi ad sacrum officium preparatione. 2. de eo-  
rund. instructione. 3. De Ministerij utilitatibus &  
commodatione. 4. De fidelium verbi doctorum re-  
muneratione. Responsionum argumenta singula  
ex gremio Textus sunt deprompta. I. Preparare so-  
let Deus doctores: 1. Ad mensam collocando. Di-  
scumbentibus undecim, &c. Intelligendum autem  
hoc est non precipue de mensa sobrietatis cibaria,  
neq; de mensa coenae Sacramentaria: sed de litera-  
ria, quam Theologiae studiosi & Ecclesiarum mi-  
nistri cum Elisa, 2. Regum 4. communem occupare  
tenentur. 2. Incredulitatem objurgando. Habet  
enim unusquisq; suas tentationes & imbecillita-  
tes, quas DEUS per Verbum & spiritum arguit.  
3. Reprehensionem abbreviando. In eo enim quod  
Marcus Evangeligraphus acerrimam quidem  
contentionem Christi referre & narrare videtur,  
& tamen statim ad aliud valde mitius & honori-  
ficentius negotium delabitur, singulare Φιλα-  
θρωπίας Dominicae argumentum, & modus, quo  
Christus suos servos tractare solet, apparet, Psal.  
30. & 103. 11. In institutione Servator Discipu-  
lis & omnibus verbi caelestis Praeconibus tria in-  
jungit. 1. Locorum divinitus monstratorum vi-  
sitationem. Ite in orbem. Eundem autem quo  
Dominus vult, Ierem. 1. 2. Evangelij praedica-

tionem,



tionem. Prædicate Evangelium, &c. 3. Sacramentorum administrationem. Baptizate eos, &c. III. Fructus Ministerij 4. attinguntur.

1. Salutis efficientia. Qui crediderit, salvus erit.
2. Diabolici serpentis absentia. Dæmonia ejicient, serpentes tollent.
3. Sacrorum scientia. Linguis loquentur novis.
4. Sanandi spirituales morbos potentia. Super ægrotos manus imponent, & melius habebunt.

IV. Remuneratio fidelium Christi servorum triplex est. 1. Corporis & vitæ incolumitas. Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. 2. Collegialis Christi societas. Prædicaverunt ubiq<sub>3</sub>, Domino cooperante. 3. Cœlestis promotionis velocitas. Sicut enim Dominus assumptus est in cœlum: ita eadem receptio destinata est fideliter & strenuè laborantibus, 2. Timoth. 4. 1. Petri 5.

Aliud Exemplum, investituram sive introductionem, alicujus Pastoris Dominica Quinquagesima, concernens propono, ex usitato Evangelio Lucæ 18. Cum juxta Christi pronuntiatum, Matth. 12. ex abundantia cordis os loquatur: at verò cordis mei cogitata in presenti sint, adducere vobis fidelem pastorem, eumq<sub>3</sub> sui officij admonere, quo & divino mandato & vestrae expectationi satisfaciat, neq<sub>3</sub> volo neq<sub>3</sub> possum iam animi institutum suppressere, vel tractatione aliarum rerum intervertere. Ideoq<sub>3</sub> neq<sub>3</sub> de profectio-

nibus,

Ministerij fructus

Ministorum fidelium remuneratio.

Domin. Quinquages. Luc. 18.



Ministri  
Ecclesie  
requisita.

nibus, vaticiniis & miraculis Christi, neque de mendis neq; de nobilitate & beneficio visus: sed de Ministerio Ecclesiastico unice hac hora sermonem habebo, dicturus, quæ sint p̄y & fidelis Christi servi requisita. Quatuor autem historia Evangelica præscribit. 1. Passionalium concionum necessitudinem. Quemadmodum enim Christus hic de sui traditione & crucifixione concionatur: ita cuiuslibet p̄y Doctoris Ecclesie scientia & doctrina referta esse debet commemoratione Iesu crucifixi, 1. Corinth. 2. 2. Erga indociles mansuetudinem. Infirmi enim in fide tolerandi sunt, Rom. 14. non aliter ac Christus Discipulorum oscitantiam, à Luca multis verbis notatam, benigne toleravit. 3. In cognoscendis querimoniis promptitudinem. Exemplo enim summi Doctoris Christi, commiseratione erga afflictos tangatur, eosq; ad se adducirent, Illud & Paulo fuit usitatum, 2. Corinth. 11. 4. Ad restitutionem visus spiritualis aptitudinem. Ministri enim Evangelij lux mundi sunt, Matth. 5. Hac inventione principale negotium non interturbatur, & Auditores pluribus materiis non onerantur.

Videamus nunc alio schemate, quomodo beneficio Articulate Methodi Evangelium ad concionem nuptialem referri commodè queat. Si mihi incuberet in solennitate quadam nuptiali sermonem ex ordinario Evangelio adornare, se-

positis



positis alijs, qui de coniugio agunt, Textibus nunquam refragarer: sed mediante inventione & manuductione Tertiæ huius Methodi, rem, quacumq; Dominicâ per totum annum id accideret, σω Θεω attentarem. Experimentum faciam ex Evangelio Matth. 4. Dominica Invocavit, hoc modo: Dicturus iam sum, 1. De crucis coniugalis gravedine. 2. De eiusdem dulcedine. 1. Diabolus piis coniugibus lapides monstrat, quod fit, 1. quo ad coniugum morositatem. Sæpe enim pia Abigail associatur viro iniquo Nabali, qui ob duriciem, 1. Sam. 25, lapis dicitur. 2. Quo ad liberorum indocilitatem. 3. Quo ad vicinorum iniquitatem. Sæpe enim proximorum iniuriis expositi sunt pii coniuges, non minus ac David, qui 2. Sam. 16. à Simei lapidibus petebatur. 4. Quo ad victus difficultatem. Sæpe enim in agricultura & tota œconomia ager aut sterilis, aut petrosus videtur. 5. Quo ad morborum acerbitatem. In vita enim coniugali, multi, multifariis morbis, nõ raro etiam calculo excruciantur. II. Hisce à Satana monstratis lapidibus, ad asserendam nostram cum Deo familiaritatem & iob̄e σία, opponamus Sacram scripturam & Verbum Dei, nimirum 1. verbum creationis, Gen. 1. & Matth. 17. Deus enim in pisce potest staterem exhibere 2. verbum nutritionis, Deut. 8. non ex solo pane vivit homo, &c. 3. verbum sanationis, Matth. 8. Sap. 16.

Domin.  
Invocavit,  
Matth 4  
Coniugii  
cruce &  
gravedo.

Coniugii  
calamitatibus  
quid opponendum.

N

4. ver-



4. verbum consolationis, Psalm, 119.

NOTABENE. Inprimis autem hæc præ-  
sens Methodus in funebribus homiliis usum valde  
necessarium habet. Nonnunquam enim accidit,  
ut Ministro verbi Textus certus, ut pote à defuncta  
persona piè ruminatus, præfigatur; ibi necessum  
est, ut & materia designata, & Morientis scopus  
attendatur, atq; unum cum altero conferatur.  
Idem mihi Hildesie contigit, decedente ex hac vi-  
ta Doct. Iohannis Richij, quondam Ducis Erici  
Iun. Brunsvvicensis Cancellarij viduâ, apud cuius  
exequias, Dictum 1. Timoth, 1. Fidelis sermo, &  
omni acceptione dignus, explanari petebatur.  
Omniâ igitur paraphrasi, & relegatis ad aliud  
tempus Doctrinis de Iustificatione & Pœnitentia,  
tantùm id, quod ad præsentem actum conducere  
videbatur, proposui, & 6. Meditationes mortis,  
in Textu illo tectè comprehensas, explicui. Est  
autem 1. Meditatio, pia inter terrena & cœle-  
stia bona discretio & electio. Quibus enim in a-  
gone hoc Emblemâ Paulinum cordi est, significant,  
se pretiosum Dei sermonem omnibus aliis thesau-  
ris antepondere. 2. Tristis de gravissimo dolore  
conquestio. Interrogati enim moribundi de dolo-  
rum sede, hoc dicto innuunt, peccatum, reliquam  
materiam peccantem omnem atrocitate superare.  
3. Modesta propria laudis declinatio. Paulus enim  
& cum eo, omnis Christianus morti propinquus,

libenter

Dictum

1. Timo.

1.

Medita-  
tiones  
piæ Ago-  
nizantis



*libenter fateatur, se omnium peccatorum primum esse. 4. Constans de Christo servatore confessio. 5. Firma remissionis peccatorum acceptatio. 6. Ardens vita æternæ exoptatio.*

*Ex his & aliis accommodatioribus exemplis, quæ propter libelli angustiam adduci nequeunt, apparet, Methodum Articulatam omnibus temporibus, casibus & materiis servire, cum è contra Textualis sive Paraphrastica, ad scopum Textus adstricta sit.*

C A P U T X I.

D E P A R A D I G M A T E

A D I I I. M E T H O D U M A C C O M M O D O.

Ut autem S. Theologiæ studiosi, & alii officii Ecclesiastici Tyrones paradigmata hujus jam explicatæ Methodi habere, & notatos canones atq; artificium ex praxi æstimare queant, commendo ipsis duas conciones D. Salomonis Gesneri, p. m. Brunsvigæ de pace habitas, & Witebergæ excusas: quibus adjungere possunt, quatuor meas de schola Danielis, Anno 1602, evulgatas, & mox emendatiùs recudendas. Ibi enim ferè omnium allatarum regularum usus, in sermonum cohærentia ostenditur.



LIBER QVARTV S.

DE METHODO CONCIONANDI THEMATICÆ.

De hoc concionandi genere octo capita conscribenda veniunt.

- I. De descriptione Methodi Thematicæ.
- II. De eiusdem Inventione.
- III. De priori concionum Thematicarum parte, sive Exordio.
- IV. De Responsione seu Thematis tractatione.
- V. De Applicatione.
- VI. De Conclusionem.
- VII. De conditione & usu huius Methodi ultime.
- VIII. De paradiigmate, usum in exemplo monstrante.

CAPUT I.

*Agitur hic 1. de Methodi definitione. 2. de Autore.*

I. Methodus Thematica est forma concionum, in qua unicum Thema, sive  
 qua-



quæstio explicanda sumitur, ita ut ferè in omnibus orationis partib. præcepta Rhetorices observentur, & materia pertractata ad usum auditorum applicetur.

Quemadmodum autem duæ præcedentes Methodi species, appellationem à subjecta materia, qua potissimum occupantur, habent; ita hæc non inconvenienter Thematica dicitur, cum uni Themati pertractando subserviat.

II. Dicitur & Pangratiana, à M. Andrea Pangratio, beatæ recordationis, quondam Ecclesiarum civitatis & Præfecturæ Hofensis, quam aliqui Curiensem appellant, in Voitlandia Superintendente. Nostrum autem jam non est, venerandi & præclari illius viri insignem pietatem, vitæque sanctimoniam, Theologicam sapientiam, eruditam & gravem eloquentiam, aliaque innumera ornamenta, quæ ipsi DEUS præ multis aliis concessit, recensere; cum præstantissimus vir seipsum virtute & in Ecclesiam merito commendaverit, atque non solum Variscis, sed etiam Palatinis, & præcipuè Ludovico pio, tum temporis Electoratus hæredi, amabilem reddiderit; & Doctor Johannes Streitbergerus Gene-

*M. Andreas Pangratius.*



D. Iohan  
Streit-  
bergeri  
de M.  
Andrea  
Pangra-  
tio judi-  
cium.

ralis in superiori Marchionatu Branden-  
burgico Superattendens, epistola qua-  
dam ad Ministerium Hofense scripta,  
quæ nunc extat, præcipuos encomij Pan-  
gratiani nervos sequentibus verbis sit  
complexus: Reverendus & Incompara-  
bilis vir Dominus Pangratius carissimæ  
patriæ meæ Ecclesiam, nondum inte-  
gros decem annos rexit, quam tamen ille  
tam brevi tempore & ornavit, & amplifi-  
cavit, super omnes alios qui ante ipsum  
in ea docuerunt. Neque enim meipsum  
excipio, & illo me longè inferiorem fui-  
se agnosco & ingenuè profiteor. Tribuo  
illi laudem sapientiæ, pietatis, doctrinæ,  
successuum in gubernatione, auctorida-  
tis & præcipuarum virtutum in Ministro  
Ecclesiæ necessariarum. Hæc omnia divi-  
nus ille Spiritus cumulatè in Eum contu-  
lerat, ut in quenquam alium. Hactenus  
Streitbergerus.

Hic M. Pangratius antequam Amber-  
gam ad gubernationem Ecclesiarum vo-  
caretur, & adhuc ceu Tyro in oppidulo  
quodam Diaconi munere fungeretur, vi-  
dit se neque eam docendi formam, qua  
Lutherus usus erat, imitari posse, neque  
Postillis, quibus plerunque ob structuræ

varie-



varietatem obruebatur & distrahebatur, magnoperè juvari; & tamen omnia præmeditatè pro concione proferenda, linguæ autem volubili & adventitiis cogitationibus non fidendum esse, ideoq; cum lectione Scripturæ artes dicendi conjunxit, & singulari diligentia, juxta leges Rhetoricas, Methodum peculiarem investigavit, inventam conscripsit, & sub præfatione D. Georgij Majoris, VVitebergæ Anno 1571, evulgari curavit.

## C A P U T II. D E I N V E N T I O N E.

Cum materiarum in negotio concionum quædam deprehendatur diversitas, agitur hoc capite:

1. De distinctis questionibus.
2. De distinctis generibus causarum.
3. Fit digressio ad dispositionem.

I. De quæstionibus, sciendum aliam esse simplicem, quærentem de una voce, ex quæstionibus Methodi simplicis, utpote de etymo, existentia, definitione, divisione, causis, effectis, adjacentibus, cognatis & pugnantis seu impediementis; ut quid vox Sacramenti significet, an



sit fascinum, quid sit lex, &c. aliam verò esse conjunctam, quærentem de integra propositione, ut, num lex sit docenda in Ecclesia, an indigni & infideles accipiant corpus & sanguinem Domini.

I I. Genera causarum. Pangratius tantum duo in Ecclesia usitata esse perhibet, Didascalicum scilicet & Deliberativum. Judiciale enim ad Didascalicum refertur: Demonstrativum verò, partim cum Didascalico, partim cum Adhortationibus generis deliberativi conjungit.

Definit autem Autor genus didascalicum, quod instruat fidem hominis, & finem habeat, notitiam & cognitionem sacrarum rerum: Deliberativum verò, quod informet mores, & finem habeat actionum, cum præceptis decalogi convenientem.

III. Dispositio partes concionis Thematicæ complectitur, & in justum ordinem redigit. Quatuor autem ab Autore recententur: 1. Exordium, 2. Doctrina, quam nos certis de causis Tractationem nominamus. 3. Applicatio, 4. Peroratio.

CAPUT



CAPUT III.  
DE EXORDIO.

Cum Exordium hujus Methodi tribus constet membris, videlicet Benevolentia captatione, Docilitate sive statûs formatione, & Attentione sive materiae commendatione, docetur hoc capite:

1. De priori membro.
2. Cur Pangratius non usus fuerit Exordiis venustis & longè petitis.
3. de Docilitate & quaestio- nis traditione.
4. De differentia quaestionum in hac, & aliis Methodis.
5. de Attentione.

I. Primum Exordii membrum ab Autore captatio benevolentiae vocatur, sed improprie & abusive. Cum enim Exordiis speciosis, & sigillatim iis rebus, quæ vel materiam tractandam, & causam susceptam laudibus extollunt, vel Auditorum propensionem, studium & zelum prædicant, vel Concionatoris erga plebem affectum & officium pollicentur, Auditor benevolus reddatur, hujus verò formæ Exordia maximâ ex parte humilia sint, atque nihil aliud quàm Textus aut summam, aut oc-

N 5.

casio-



caſionem, aut partitionem, aut cum præcedenti connexionem complectantur, convenientiori termino particula illa concionis prima, Textus Renunciatio appellabitur; niſi fortè ſermonis extraordinariè inſtituti, quod rariffimè, & non niſi ex neceſſitate aut propter aliquem caſum fieri poſſe Autor iudicavit, ratio reddita, captationis benevolentiaꝝ titulum ſibi vendicet.

Igitur prius membrum, Exordium, aut uſitatum eſt, aut inuſitatum. Uſitatum ſecundùm commemoratos modos Textum repetit: Inuſitatum ſingularis propoſiti cauſas explicat. Hocque captatio benevolentiaꝝ eſt; illud non niſi per catachreſin ſic dicitur. *Ut, autor in concione funebri Hieronymi Steigeri Paſtoris Münchbergensis, 14. Iulij Anno 1572. ſub proſpectum per fenestrum fulmine proſtrati & interempti, ſuper verba Lucae 13. an putatis Galilaeos ſolos peccaſſe? Ante hæc tempora, Chariffimi in Domino, duabus vicibus occaſio apud vos concionandi exoptatior & lætior, mihi oblata fuit. Illud autem compellandi medium intermiſſum, & iam in triſtiſſimo hoc caſu initium officij mei faciendum eſſe, ex animo doleo, idq; non tam viduaꝝ & orphanorum, quam veſtri*

omni-



omnium ratione. Scio enim hanc florentem Ecclesiam pio, fideli & divino zelo ardente pastore orbatam esse.

II. Quod autem plerunque Exordia humilia concionibus Thematicis præfiguntur, causam evidentissimam habet. Quia enim hæc Methodus in exegesi quaestionum doctrinalium, Textui aut nihil aut parum tribuit, sed in merè realia intenditur, ne omninò prælecta materia, in quam plerunque vulgus defixos oculos & animos habet, negligatur, in Exordio brevibus Textum perspicuum reddendum flagitat. *Vt Tractaturus Thema Dominica 1. post Trinitatis, an divitiæ & affluentia opum terrenarum per se damnet, præmittit Exordij loco partitionem Evangelij, Luc. 16. hoc modo: Hoc Evangelium secundum personas in tres partes dividitur. Prima persona est Epulo, splendide & luxuriose vivens; cuius exemplo docemur, quàm malè sint habituri ij, qui opibus suis fratri egeno succurrere potuerint quidem, noluerint tamen.*

II. *Lazarus variis miseriis & iniquitati divitis expositus, docet, pauperes in fide & patientia perseverantes, olim in futura vita summum bonum & infinitas delicias recepturos esse.*

III. *Persona Abrahami recusantis damnato*

*Hellue-*

*Domin.  
5. post  
Trinit.  
Evangel.  
Luc. 16.*



Helluoni Lazari ad luxuriantes fratres ablegationem, & urgentis Moysæ & Prophetarum auscultationem, docet Ministerium publicum in negotio salutis unice attendendum, minimè autem mortuis vel spectris fidem habendam esse.

III. Secundum Exordij membrum iuxta Autorem est Docilitas sive Thema, quod nos statum aut quæstionis formationem appellamus.

Observantur autem in hac Exordii particula:

1. Necessitas. Status enim formatio in oratione nunquam omitti debet.

2. Quæstionis unitas. Hæc enim Methodus, non ut superiores, duabus, tribus aut quatuor quæstionibus, sed tantum unico Themate concionem absolvit.

3. Thematis qualitas. Quæstiones enim qua hîc locum habent, sunt in duplici discrimine,

Considerantur enim partim logicè, suntque aut simplices. aut conjunctæ: partim Theologicè, suntque vel Textuales, vel Doctrinales. *Exempla suppeditat Evangelium Dominica Iudica Iohan. 8. Ibi enim iuxta hanc Methodum Thematicam potuisset tractari aut quæstio simplex, quæ sit efficacia doctrine Evangelicæ: aut conjuncta, an licitum fuerit*

Christo

Domin.  
Iudica  
Evang.  
Ioh. 8.



Christo de propria sanctitate gloriari: aut quæstio Textualis, an Christus rectè fecerit, quòd in templo lapidantibus Iudæis sese subduxerit, & periculum fugerit: aut Doctrinalis, an Patriarchæ habuerint veram futuri Messæ notitiam.

IV. Hæ igitur tres commemoratæ docilitatis notæ monstrant, in quibus Thematica, cum aliis Methodi speciebus conveniat, & in quibus ab illis discrepet.

Convenientia consistit in forma & fine. Omnes enim Methodi, quæstiones proponunt, & iisdem Auditores dociles reddunt.

Discrepantia versatur in numero & qualitate. Paraphrasticæ enim & Articulatæ Conciones pluribus quæstionibus unâ vice locum permittunt: sed Thematica unicâ interrogatione perficitur. Paraphrastica quæstiones Textuales tantum: Articulata Doctrinales tantum: sed Thematica promiscui generis quæstionem, & Textualem & Doctrinalem tractat.

V. Tertium Exordij membrum est materiæ propositæ commendatio, sive juxta Autorem & Rhetores attentio. De hac notanda veniunt:

I. Definitio. Est autem Attentio, ea

Convenientia  
Methodi  
Thematicæ cum  
aliis Methodis.  
Discrepantia  
earundem.

Exor-



Exordij particula, in qua rationem reddimus, cur hanc vel illam materiam præ aliis multis elegerimus.

2. Inventio. Ducuntur Attentiones, aut à necessitate, in materiis & fidem & virtutem concernentibus, cum judicatur magnam salutis partem in cognitione rei propositæ sitam esse, nec illam sine gravi periculo negligi posse: aut à difficultate in materiis ab adversariis in controversiam vocatis, ubi innuitur, præsentem materiam non tantum naturam ignotam, sed etiam à Diabolo & ejus organis Hæreticis multipliciter obscuratam esse.

3. Dispositio. Constat autem utcunque Attentio: 1. propositione. 2. ratione. 3. adversativa. 4. conclusione. *Vt M. Andreas Pangratus in concione de conjugio sacerdotum: Etsi hæc quæstio ad solos sacerdotes spectare videtur, tamen certum est, cognitionem ejus etiam aliis hominibus summè necessariam esse. Si enim hoc rectè affirmatur, Sacerdotes ideo non posse fieri maritos, quod sint in ministerio sancto, an non statim sequitur manifestum conjugis convitium? Et hoc posito, quod matrimonio contracto violetur Sacerdotij dignitas & sanctimonia, necesse erit, conjuges in conditione*

vita



vite esse minus sancta aut Deo grata. Quid autem durius dici possit in coniugium, non video.

Et quia Diabolus animadvertit, hoc jacto fundamento, multa inde mala extrui, & laqueos hac ratione non coniugibus tantum, sed aliis etiam injici posse, magno conatu & sub specie singularis sanctimonie, opinionem istam in mundum invexit, nec hodie etiam cessat, eam multis coloribus pingere & velare. Refert ergo videre, quid de hac ipsa questione ex verbo Dei rectè statui possit.

## CAPUT. IV.

### DE RESPONSIONE SIVE THEMATIS TRACTATIONE.

*Thematis Tractatio, quam Autor Doctrinam inscribit, septem constat membris.*

1. Antithesi, id est, contraria opinione.
2. Concessione.
3. Refutatione.
4. Propositione.
5. Declaratione & Confirmatione.
6. objectionis dilutione.
7. Conclusionem.

I. Antithesis est prava sententia, quæ vel ab Hæreticis, vel imperitis, ad quæstionem in Docilitate propositam, responsionis loco reponi videtur, ante genuinam & veram responsionem meritò removenda, & ex Animis Auditorum eradicanda.

dican-



dicanda. Sumitur autem trifariam :

1. A falsa Hæreticorum opinione. *Vt Autor in dicta concione de coniugio Sacerdotum: Sciant Auditores, hanc ipsam questionem priscis etiam seculis in Ecclesia agitatam esse. Non longè enim post Apostolorum tempora, circiter annum Christi 140. vixit Marcion Hæreticus, qui inter alios multos tertos errores, hunc etiam habuit, ut coniugia in universum prohiberet & dænaret, cum tamen ipse Diaconi cuiusdam Cyprii coniugem abduxerit: Et quamvis hoc quod volebat Marcion, Montanus & alij prorsus obtinere non potuerint, (subindè enim sectæ istius turpitudine cognoscebatur ab omnibus) tamen ab eo tempore cœlibatus in eam venit admirationem, ut etiam in Nicæna synodo de arcendis à coniugio Sacerdotibus agitatum sit. Et sequuta sunt deinceps tempora, quibus subindè in hoc & aliis articulis, nimis crevit superstitio, & c.*

2. A communi & fallibili vulgi persuasione. *Vt Dominica septuagesima ex Evangelio Matth. 20. Tractationi Thematis, an in cultura vineæ & studio pietatis præmium potius, quàm gratiam & favorem Domini respicere debeamus. Antithesis inseritur ex versiculis:*

*Vulgus amicitias utilitate probat.*

*Item:*

*Vsq; aded gratis pœnitet esse probum.*

3. A di.

Coniugium sacerdotum diu fuit impugnatum. Martionis hæresis.

Dominica Septuagesima. Matth. 20.



3. A dictorum scripturæ in speciem visâ contradictione. *Vt Dominica 4. Adventus quæstio ex Evangelio Iohan. 1. tractanda offertur, an Iohannes rectè fecerit, negando se esse Eliam: cuius Antithesis ex sententia Biblica textitur, Christus enim ipse Matth. 11. fatetur, illam de venturo Elia prophetiam, de Iohanne Baptista intelligendam esse.*

Dom. 4.  
Advent.  
Iohan. 1.

II. Concessio est, cum in Hæreticorum vel vulgi allegata sententia tolerabile quid reperitur, & certis conditionibus probatur & retinetur. *Vt autor Methodi Thematicæ super Psalmum 22. concione 6. de fructu passionis Dominicæ, Antithesin (carnalem hominem vix credere, patri cœlesti in morte filij proprij & dilecti complacuisse) non in solidum rejicit, sed in quantum veram esse asserit, factâ tali concessione: Equidem Iudæorum rabiem & tyrannidem contra Christum, Deo probari, superioribus concionibus est negatum, & tandem experientia in clade gentis Iudaicæ percepta, displicentiam divinam comprobavit.*

Super  
Psal. 22.  
de passio.  
Christi.

III. Confutatio aut opiniones erroneas, & cum veritate ex diametro pugnantes arguit, ac firmis scripturæ testimoniis enervat & incidit: aut dicta Biblica non rectè intellecta, dextrè expli-

O cat,



cat. Demonstrationis gratia immorabimur in duobus modò positis exemplis.

Dom. 4.  
Advent.  
Iohan. 1.

1. Iohannes interrogabatur, num esset Elias Thesbites, curru & equis igneis in cœlum vectus. Iudæorum enim opinio erat, illū ante finem mundi reversurum. Negat autem id, de quo quæstio est, & tamen ei, quod Angelus Gabriel Luce 1. & Christus Matth. 11. inferunt, nihil detractum vult.

Super  
Psal. 22.

2. Crucifixio Christi Deo patri accepta fuit, non agentis, sed patientis ratione. Non enim qui injurias Servatori intulerunt, sed qui injurias patienter in honorem & obedientiam Dei devoravit, gratum opus patri præstitit. Quemadmodum in Sanctorum martyriis, Tyrannorum propositum scelus Deo abominabile fuit, mors verò piorum coram Domino pretiosa, Psalm. 116. ita Iudæorum, Dominum gloriæ crucifigentium immanitas, horribile quidem fuit peccatum: passio tamen Christi innocentissima & sanctissima, quatenus propitiatio pro peccatis mundi erat, patri cœlesti maxime cordi fuit.

IV. Propositio est veræ sententiæ quæstioni antea propositæ, substruendæ, brevis & perspicua enunciatio. Vt M. Andreas Pangratius Autor hujus formæ, in concione antea notatâ, de conjugio sacerdotum: Dicimus conjugium sacerdotum iure divino & naturali, &

ipsius



ipsius insuper veræ Ecclesiæ antiquâ consuetudine, nec non aliis etiam firmis rationibus defendi ac comprobari posse.

V. Præmissâ, si tamen qua opus est, partium propositionis enumeratione & declaratione, confirmatio traditur, quæ plerunque continet: 1. Dictorum S. scripturæ probationem. 2. Exemplorum sacrorum, nonnunquam etiam pro qualitate materiæ, Ethnicorum, illustrationem. 3. Rationum coagmentationem. 4. Per similitudines & apophthegmata expolitionem. Hisce ferè modis Autor propositionem jam appositam comprobatur.

I. Ex testimonio scripturæ. Cum enim **D E U S** in primæ conjugij institutione gravissimè affirmet, non bonum esse hominem vivere extra conjugium in cœlibatu solum, sequitur ex Antithesi, conjugium esse non solum Deo gratum, sed hominibus insuper necessarium & multis modis bonum. Observandum autem hîc est homines vocari non Laicos tantùm, sed omnes ad conjugium idoneos. Conditi enim sunt homines ita, ut sint fœcundi, & sexus recta ratione alterum sexum appetat; nec excludendi ab hac Dei ordinatione ulli sunt, præter eos, quos Deus singulari dono excepit & ornavit. Alij, qui verbum hoc non capiunt, ducant & nubant. In summa, de



quibus subjectum verè dicitur, quòd scilicet sint homines, ad conjugium & procreationem idonei; de eis prædicatum etiam intelligi necesse est, quod scilicet eis non sit bonum esse solos, vel extra conjugium vivere. Nec valet puerilis illa argutia, quæ prætendunt, leges suas non pugnare cum ordinatione Divina, ideò quod non omnibus, ut olim Montanus, sed aliquibus tantùm prohibeant matrimonia. Perinde hoc est, ac si Tyrannus iniquam non esse legem contendat, cujus iniquitate pars duntaxat civitatis prematur. Multò minùs verò audienda est eorum elusio, qui incogitanter dicunt, initio quidem permissum ideò esse conjugium, ut repleretur terra; nunc verò aliam esse rationem. Nam natura verbo Dei sic formata est, ut sit fœcunda: & sicut verbum, Germinet terra, efficaciam suam hodiè adhuc habet: ita etiam natura humana suam retinet proprietatem, nec ullis legibus mutari potest. Qui ergò conjugium prohibent, simul cum Dei ordinatione, & ipsa etiam natura pugnant.

2. Ex lege naturæ. Nam ipsi etiam Iuriconsulti sapienter & rectè fatentur, conjunctionem maris & fœminæ esse juris naturalis. Et ubi natura non mutatur à Deo ipso, necesse est ordinationem illam manere, quam naturæ indidit: & velle ordinem hunc tollere idem est, ac dicere, olim homines nascentes secum attulisse sexum,

nunc



nunc verò non magis afferre, quod admodum ridiculum est. Nam Ethnici saniores, dictante ipsa ratione, sobrius hac de re loquuti sunt. Et memorabilis est historia, quam de Furio Camillo Valerius Maximus refert; Is enim legem tulit, ut qui ad senectutem cœlibes pervenerant, certam æris summam, pœnæ nomine, ad ararium publicum ferrent, additis his verbis; natura vobis, quemadmodum nascendi, ita gignendi legem scribit, parentesq; vos alendo, nepotum nutriendorum debito alligaverunt. Et quia appetitum illum naturalem, quem habet sexus ad sexum, nunc concupiscentia illa, quæ per peccatum accessit, magis accendit & inflammat, eò magis etiam nunc natura humana remedio opus habet, & propterea coniugium non solum procreationis, sed etiam remedii causâ, necessarium est, teste Paulo: Ad vitandam scortationem habeat unusquisq; uxorem suam. Hac perspicua sunt, & nullâ sophisticâ labefactari possunt.

Furii  
Camilli  
lex

3. Ex primitivæ Ecclesiæ consuetudine. Quia autem piis mentibus gratum est, videre hac in re, etiam veræ Ecclesiæ consensum, nunc de eo etiam dicendum est. Et nota sunt exempla Apostolorum, qui in coniugio vixerunt. Paulus enim testatur, suo tempore multos ex fratribus habuisse & circumduxisse secum coniuges, 1. Corinth. 9. Nec extat ulla lex in primitiva Ec-

Apostoli  
in coniu-  
gio vixe-  
runt.

O 3 ctesia



Paphnu-  
tii  
senten-  
tia de  
conjugio  
sacerdo-  
tum.

clesia, coniugia sacerdotum vel tollens vel dam-  
nans. Et ne quis existimet Paphnutium in con-  
cilio Nicæno sententiam suam, magis privatâ ali-  
qua autoritate, quæ quidem in primis apud Impe-  
ratorem, qui effossum eius in confessione oculum  
sæpe exosculabatur, magna erat, quàm firmis ra-  
tionibus obtinuisse, diligenter hoc observandum  
est, quod Socrates, recitans hanc historiam, ex-  
presse addit, Episcopus quosdam novam voluisse  
inducere in Ecclesiam legem, ne videlicet Sacer-  
dotes, Episcopi, Presbyteri & Diaconi dormi-  
rent cum uxoribus, quas, cum adhuc Laici essent,  
duxissent. Quia enim novam legem vocat, per-  
spicuum est, ante Nicænam Synodum nullam fuisse  
legem, qua prohiberetur, ne Ministri legitimis  
suis uterentur coniugibus. Et quamvis adfirmat  
eos, qui ante nuptias ad clericatum vocati essent,  
non amplius ad nuptias accessisse: tamen testatur  
palàm, nullum Presbyterum seiunctum fuisse ab  
ea, quam antea uxorem duxisset. Et dicit, in eo  
ipso Concilio Nicæno, totum Sacerdotum conven-  
tum verbis Paphnutii obtemperasse, & hanc quæ-  
stionem compescuisse, ut cuiuslibet arbitrio libe-  
rum permitteretur abstinere coniugio.

Nec opus est in re manifesta plura verba face-  
re. Notum enim omnibus est Pauli dictum, qui  
vult Episcopum unius uxoris maritum esse. Et  
adeo non possunt verba hæc eludi, ut Hieronymus

etiam



etiam ( quantumvis aliàs iniquus sit sacerdotum coniugio ) id tamen inde comprobari posse fateatur. Sic enim inquit : Si Samuel nutritus in tabernaculo duxit uxorem , quid hoc ad præiudicium virginitatis ? Quasi non hodie quoq; plurimi sacerdotes habeant matrimonia, & Apostolus describat Episcopum unius uxoris maritum. Chrysostomus eandem sententiam approbat, Homil. 2. ex 1. cap. ad Titum , ubi super verba illa : Si quis est sine crimine unius uxoris vir sic inquit : Cuius rei gratia etiam huiusmodi homines Apostolus in medium adducit ? Obstruere prorsus intendit Hæreticorum ora , qui nuptias damnant , ostendens eam rem culpâ carere , imò ita esse pretiosam , ut cum ipsa etiam possit quispiam ad sanctum Episcopatus solium evehi. Et rursus in homilia de inventione crucis : Primus gradus est sincera virginitas , secundus fidele coniugium. Ergò species secunda virginitatis est matrimonij casta dilectio. Huc illud etiam pertinet , quod Platina & Sabellicus referunt , Pium I I. Pontificem , sæpius dicere solitum fuisse , uxores sacerdotibus maiori ratione restitui posse , quàm ademptæ fuissent. Item malum non esse , sacerdotes quàm plures uxorari , quoniam multi salvarentur in sacerdotio coniugato , qui in sterili presbyteratu damnantur. Hæc & alia multa testimonia , de primitivæ Ecclesiæ pia consuetudine , & posteriorum etiam

Hieronymus de coniugio sacerdotum.

Chrysostomus de coniugio sacerdotum.

Pii II. pontificis vox de celibatu sacerdotum.



approbationibus, adduci possent copiosius, sed desino in re manifesta esse prolixus. Quod enim ad posteriorum temporum, de coelibatu canones, non in legitimis synodis, sed privato consilio pontificum factos, attinet, qui, quia verbo divino, & purioris Ecclesiae constitutionibus repugnant, quo loco habendi sint, cuius iudicare difficile non est, praesertim cum & Paulus prohibitionem coniugij inter Doctrinas Daemoniorum referat, & Daniel etiam contemptum mulierum, tanquam certam notam, regno Antichristi tribuat.

4. Ex variis coniugij finibus. Praeter iam dictas rationes considerandum utrumque, etiam est, & quae sint coniugij commoda, & quanta e regione coelibatus habeat pericula. Nam ea res etiam convincet pias mentes, ut fateri cogantur, nulla recta ratione posse a coniugio sacerdotes excludi. Instituit Deus coniugium hoc potissimum fine, ut certa lege genus humanum procrearetur, & ut amor inter coniuges & liberos esset mysterium sacrae suae cum Ecclesia coniunctionis, & perpetui illius amoris, quo ipsum constanter prosequitur.

Sed nunquid fines hi tales sunt, qui Ministerium deformant, aut Ministros indignos sua functione reddant, aut a quibus abhorrere fideles Ministri debeant? Nullo modo. Primò enim procreatio sobolis per se Dei donum, & omni reve-

rentia

Coniugij  
fines.



rentiâ & honore digna est, imò tale opus, in quo præsentia & benedictio divina multis modis cõspicitur. Et debent Sacerdotes eò magis amare coniugium, ut procreent liberos, & in timore Domini eos educant, utq; Ecclesia domestica sit typus fidelium, & ipsi etiam aliquando post se relinquant fideles, & in verbo Dei rectè institutos Ecclesiæ Ministros. Sicut certè papatus impurâ suâ cœlibatus lege Ecclesiam multis probis & idoneis pastoribus orbavit. Deindè an non Ministri Ecclesiæ sine fine prædicare, & alius explicare debent mysterium illud, quod coniugium, vel copulatio & amor coniugum, de Christi erga nos adfectione præbet? Sed quis rectiùs hoc facere poterit, quàm qui in coniugio vivunt, & qui sancti spiritus puras hasce sinceri amoris flammæ, in pectoribus suis senserunt? ἀσπυοι illi coniugij osiores, qui promiscuis libidinibus utuntur, de his omnibus nihil norunt, & qui frigidè ut de coniugio, ita de Christi erga nos amore loquuntur & sentiunt.

Porro quæ habeat lex de cœlibatu animarum pericula, paucis exponi verbis non potest, & omnes boni viri omnibus seculis, de hoc onere conquesti sunt. Neq; obscurum est, quantum hæc lex publicis moribus nocuerit, quæ vitia, parricidia, & quàm flagitiosas libidines in mundum invexerit. Et quia natura hominum senescit, & paulatim debilior fit, crescunt subindè hæc vitia, & pluribus

Cœlibatus pericula.



etiam scandalis hæc lex occasionem præbet. Quæ omnia cum sic se habeant, & verissima sint, non credamus Deum, vel autorem impuri cœlibatus esse, sed firmiter statuamus, ipsum amare primam suam ordinationem, & velle ut omnes homines, non singulari & raro continentie dono præditi, sive Sacerdotes, sive Laici sint, in coniugio caste vivant, nec vagis se libidinibus polluant, & odisse eum omnes, qui hanc suam ordinationem odio habent, & iniustis convitijs proscindunt.

VI. Obiectio est, quando aliquid occurrit, quod veræ sententiæ iterum opponi potest, & vel refutatur, vel intempestivum esse pronunciatur, vel ulteriori declaratione tollitur. Prosequimur hoc loco cœptum exemplum. Sic autem pergit M. Pangratius: Sed hæc veræ & toties repetitæ piæ sententiæ, fortassis opponet aliquis, primùm exemplum Apostoli Pauli, qui ipse etiam in cœlibatu extra coniugium vixit: & deinde etiam verba eius, quibus cœlibatum nimis laudare & evehere videtur, dicens: volo omnes homines esse sicut me ipsum. Ad has obiectiones breviter hic etiam respondendum est.

Paulus  
Apostolus  
fuit  
cœlebs.

Et primùm quidem ex Pauli exemplo non lex facienda est, siquidem ipse fatetur, se non ex necessitate & obligatione aliqua, sed suo arbitrio extra coniugium vixisse: imò addit hoc etiam,

usum



usum conjugij sibi fuisse liberum, si modò ducere conjugem voluisset. Hæc enim sunt eius verba, I Corinth. 9. Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli & fratres Domini, & Cephas? Qui ergò exemplo Pauli rectè uti voluerint, relinquunt hodie adhuc usum conjugij liberum, nec damnent eos, qui utuntur eâ libertate, qua usos esse Apostolos alios Paulus expressè adfirmat. Deinde quòd optat omnes homines tales esse, qualis ipse fuit, non facit eo sensu, quo Papistæ eius verba adducunt. Mox enim addit restrictionem & dicit: sed unusquisq; proprium donum habet ex DEO. Item hoc dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Et iterum: Hoc ad utilitatem nostram dico, non ut laqueum vobis injiciam. Quibus verbis Paulus ideò utitur, ne quòd antea de suo exemplo dixit, in ignominiam ullam sancto conjugio cedat. Et vidit sine dubio in Spiritu, quæ essent tempora secutura. Magno ergò iudicio verba sua ita collocat, ne notam Dei ordinationi inurere videatur. Et in tota illa collatione conjugij cum virginitate, dicit se aliud nihil, quàm Auditorum utilitatem considerare. Cum enim coniugium habeat sua onera, difficultates & arumnas, quibus aliquatenus cœlibes carere possunt, vellet multos sequi suum exemplum, quò minus haberent tribulationem carnis. Sed mox

addit,



addit, Habet autem unusquisq; suum donum; nec laqueum vobis injicere volo; consilium do, non præceptum. Et tandem liberum hoc totum singulis relinquit dicens: Si alligatus es uxori, noli querere solutionem: si solutus es ab uxore, noli querere uxorem: si autem acceperis uxorem, non peccasti.

Hæc omnia cur cœlibatûs defensores dissimulent, & interea uno vel altero verbulo insidiosè abutantur, non est obscurum. Et magna contumeliâ adficiunt Paulum omnes, qui ex his eius verbis, coniugij prohibitionem aut damnationem extruere conantur.

Cœlibatus quatenus & cur conjugio anteferendus.

Confert quidem Paulus inter se virginitatem & coniugium, sed non sic alterum commendat, ut alterum infamet & damnet. Ornat utrumq; suis laudibus, & virginitatem ideò tantùm præfert conjugio, ut præsentî necessitati consulat. Ponit enim sibi ob oculos præsentia pericula & afflictiones, ac vidit coniugia piorum non parùm habere difficultatis, præsertim eo tempore in medio Ethnicorum. Optat ergo Corinthiis tranquillitatem & securitatem, & vellet multos sibi esse similes, quò minùs distraherentur domesticis occupationibus, & possent tempore persecutionis etiam esse expeditiores, &c.

VII. Conclusio est, quæ omnia, de quibus huc usque dictum est, brevi com-

plexu,



plexu, & verbis in propositione positis propemodum enunciat, ut in consueto exemplo: *Hæc dicta sint de usu conjugij libero & concesso omnibus hominibus ad hoc idoneis, & de rationibus, quibus vera hæc sententia cõprobatur.*

## C A P U T V.

### D E A P P L I C A T I O N E.

Applicatio est ea concionis pars, quæ propositam materiam ad usum Auditorum transfert,

*Quatuor autem hoc caput Vsus, qui huic Methodo cum superioribus maximâ ex parte, quo ad intentionem & dispositionem, communes sunt, proponit, quorum 1. Autor nominat præmonitionem. 2. Consolationem. 3. Adhortationem. 4. Detestationem.*

I. Præmonitio monstrat, quomodo pertractata materia, aut contra Hæreticos ceu præsidio, aut contra proprias præconceptas opiniones, tanquam in instructione, uti queamus. Eiusmodi præmonitio & quidem triplex ostendit se in sæpius allegata concione Authoris de coniugio sacerdotum, 1. *Ministri Ecclesiæ hæc ideò teneant, ne moveantur convitiis & contumeliis, quibus & ipsum con-*

*jugium*



jugium & p̄i conjuges, à nonnullis hodiè adhuc adficiuntur. 2. Auditores verò hæc omnia ideò probe perpendant, & fideliter etiam retineant, ne sinant sibi suspectum reddere officium & laborem fidelium suorum Ministrorum, quod tamen facile accidere potest eis, qui nō rectè sunt instituti, &c. 3. Refert hoc scire Magistratum, ne sinat se vociferationibus incitari ad injustam crudelitatem contra homines innocentes, miseros Ecclesie Ministros & eorum conjuges & liberos.

II. Consolatio inquit, qua ratione nos, contra Diaboli tentationes, mortis terrores, mundi calumnias & persecutiones, atque alias adversitates, munire queamus. Vt, Dominica 23. post Trinitatis, ex Themate, An iudæis licitum fuerit censum armis repetere, & libertatem amissam recuperare, emergit consolatio, Respublicas sub pressura viventes, jacturam libertatis violentam, sine conscientia & famæ lesione, modò subditi Dei manent, ferre posse.

III. Adhortatio est, cum Auditores ad virtutis in responsione notatæ, studium incitantur: & amplificatur argumentis ab honesto, utili, necessario, facili. Vt Dominica 9. post Trinitatis, Evangelium Luca 16. ansam præbet inter cætera Themata & hoc tractandi, An officiorum & graduum certæ

inter

Dom. 23.  
post Trin.  
Evangel.  
Matt. 22

Domin. 9  
post Trin.  
Luc. 16.



inter homines distinctiones esse possunt; cuius enodatio desinit tandem in Applicationem & nominatam Adhortationem, nempe ut in omnibus vite conditionibus & statibus, nos esse dispensatores servos Dei, cogitemus, & fideles etiam esse studeamus.

IV. Detestatio est, quando monemus Auditores, ut vitium jam carbone notatum, averfentur, ductis argumentis ab inhonesto, necessario, inutili, facili. Exempli loco allegamus Thema, ex Evangelio Dominica 19. post Trinitatis enascens, An recte fecerint Legisperiti in dubium vocantes remissionem peccatorum ab homine administratam, quod Detestationem in Usu secum trahit, videlicet: Non malitiose depravemus aut calumniemur recte dicta & facta, ut Iudaei Christo faciebant: neque cogitemus mala in corde nostro. Christus enim videt & iudicat cordis cogitationes.

Dom. 19.  
post Trin.  
Matt. 9.

NOTA. Facit ad hujus Methodi observationem plurimum, utilissimus Clarissimi viri M. Andreae Pangratij libellus, ab ipsius Genero, Reverendo Dn. Salomone Codomanno, Collega quondam meo conjunctissimo & adhuc desideratissimo, nunc Kittingensis Ecclesiae Decano, in publicum emissus, cui titulus est: Sylva Locorum communium &

Thema



Thematum in Evangelia Dominicalia ac Festivalia. In illo enim quaestionum, nec non Adhortationum ac Detestationum uberrima copia reperitur. Et suppetunt indicia, fore ut ejusdem filii tractatio Epistolaris, studio M. Christophori Pflugij Münchbergensis, Pastoris Sarstadiani, amici & compatri mei, propediem edatur.

## CAPUT. VI. DE CONCLUSIONE.

Conclusio sive peroratio, ad summum tribus membris absolvitur, videlicet:

1. Partium repetitione. 2. Affectuum commotione, 3. Voti additione. Scendum tamen medium membrum non raro supprimi; nonnunquam etiam ultimo, voto scilicet, commisceri.

Exemplo est votum Autoris in concione de conjugio sacerdotum, quod sic habet: Deus autor conjugij vindicet & tueatur hujus suae divinae ordinationis dignitatem, & avertat omnia mala, gloriam ejus obscurantia, & inquirat innocentem sanguinem piorum conjugum, quem multis nunc annis impia & diabolica Itatorum & Hispanorum inquisitio, tanquam aquam profudit; &

regat



*regat omnes pios conjuges, ut in fide vera, & charitate non ficta, castè, tranquillè & piè vivant, donec tandem cum liberis suis recipiantur in cœlestia illa tabernacula, in quibus omnium Angelorum & piorum hominum casta & læta erit conversatio, cum Filio Dei sponso suo, in omnem æternitatem, Amen.*

## CAPUT VII.

DE CONDITIONE ET  
USU METHODI PAN-  
GRATIANÆ.

Sentiunt non pauci Theologi, Methodum hanc Thematicam, magis ad declamationes scholasticas, quàm homilias Ecclesiasticas convenire: ideoque nec ipsi hoc docendi genere utuntur, nec usum ejus in Theologiæ studiosis & Tyronibus per omnia probant. Etsi autem dubium non est, si adhuc in vivis esset, optimus & in Christo nunc felix Dominus Pangratus, & animadverteret, Wirtebergensibus Theologis per Paraphrasticam, & Aliis per Articulatam Methodum, eandem & fortè majorem in docendo populo felicitatem obtigisse, quàm sibi in unius quæstionis



ventilatione, quin pro conspicua sua modestia & singulari erga Ecclesiam fidelitate, usitatas & planas homiliarum formas non modò laudaret, verùm etiam quandoque imitaretur; quod facere ipsius Gener Dn. Codomannus, cum multo Auditorum fructu, consuevit: tamen hac in parte, & *μετρηον* divinitus cuivis concessum, & tractandarum materiaram qualitatem respiciendum esse iudico. Fuit enim D. Andreas Pangratius verè hujus Methodi peculiaris & peritissimus artifex, cui nemo forsan hanc docendi mensuram, absque donorum perturbatione, è manibus penitus excutere potuisset, ut nec nunc plerisque Ecclesiæ Hofensis Symmisticis, viris Cl. & doctis, ab ipso Pangratius ad hanc Methodum assuefactis. Et potest certè huic formæ, ab Aliis etiam nonnunquam locus concedi, idque vel in descriptionibus operum, ut quid sit jejunium, quid homicidium: vel in tractationibus quæstionum controversarum, ut quomodo homo coram DEO justificetur, an infantes sint baptizandi, an post hanc vitam alia restet.

CAPUT



## CAPUT VIII.


## DE PARADIGMATE.

Praxin & usum hujus Methodi, qui in concione aliqua, ceu paradi-gmate, contemplari cupit, ad quatuor homilias de conjugio, Autoris Methodo insertas, remittitur. Ibi enim regulis exempla ad sufficientiam sunt addita. Cumq; apophthegmata orationibus & homiliis magnam gratiam & ornatum concilient, grave non erit Lectori, sibi copiam eruditæ eruditi viri M. Simsonis Mencilij, amici mei exoptatissimi, concionis, ad funus Georgij Loylij junioris, juvenis literatissimi & laudatissimi, habitæ, & Curia Variscorum excusæ, acquirere, atque imprimis D. Pauli Laurentij Superintendentis Dresdensis explicationem in Prophetam Amos succinctam ac nervosam, & ad hanc Methodum per omnia efformatam, evolvere. Utrobivis enim artificium hujus quartæ formæ & Methodi Pangratianæ, evidentissimè conspici potest.

\* \* \* \* \*

*Finis IV. Methodi.*





Ἰὼς Πάντος ad Lectorem.

**H**Abes hic, Candide Lector, quatuor Methodorum concionandi breuem quandam & simplicissimam delineationem. Tot enim rationes & formas ex Orthodoxorum virorum concionibus, hactenus per DEI gratiam observare mihi licuit. Si quis plures statuere voluerit Methodos, me adversarium non habebit, modo rem accuratè rationibus & exemplis demonstrat, & videat, ne quinta (si quam comminisci placuerit) cum mea secunda; & sexta, cum secunda & tertia, veluti mixta, conveniat. Dudum etiam monui, quosdam, præeminentis etiam conditionis Concionatores, Textum in certas partes, easdemq; rursus in aliquot particulas disperse, atque doctrinam unicuiq; membro statim, ante integræ partis absolutionem, adsignare, non observato eo ordine, quem D. D. Hunnius, b. m. in paraphrasis & Locorum segregatione

Methodi concionandi, an præter has quatuor, plures sint.

retinuit



retinuit. Illud autem qui facit, ea propter novam Methodum sequi dicendus non erit, cum essentialia requisita Methodi Textualis, utrobique occurrant. Præterea si cuiquam libuerit, duplicis generis quaestiones in una concione proponere, Textuales nempe & doctrinales, ad modum eum, quem Celeberrimus & Gravissimus ille Theologus D. D. Georgius Mylius, p. m. VVitebergæ 19. Ianuarij, Anno 92, in concione super Evangelium Matth. 3. de Baptismo Christi, servavit; nimirum, audiemus jam narrationem, 1. quomodo Christus baptizatus sit: 2. quid post Baptismi actum acciderit: prius de substantia, alterum de fructu & efficacia Baptismi nos informabit; in eiusmodi casu, nova & singulari Methodo opus non erit, sed tantummodo Paraphrastica & Articulata simul consulenda; illa quidem ad Textus & Locorum enodationem, hæc verò ad doctrinarum erutarum justam collocationem. Textualis enim Methodus, ut

De Bap-  
tismo  
Christi  
Matth. 3



sapissimè dictum est, Locos promiscuos infert: Articulate autem tantum cognatos, & quidem eos, qui sub censum alicujus primarii & cardinalis Articuli fidei, venire & redigi possunt.

Porro miror, & fermè obstupesco, cum videam, quosdam, Articulate Methodum ex solo terminorum consonantium usu aestimare, atq; structuram illam totam, propter ὁμοιοπρωτα, ipsis invisam, abominari & repudiare; cum tamen multoties inculcatum sit, terminos illos tantum accidens esse, imò tale accidens, quod etiam Methodus Paraphrastica & Pangratiana, cum Articulate, commune habere queant; sicuti exemplis, si opus foret, demonstrare ad oculum possem. Sanctè autem affirmo, tantum à Methodo Articulate, necessariam & superstitiosam terminorum importationem, abesse, ut si scirem ego, Auditores meos scandalizari per terminos, iis in aeternum non aterer, exemplo Pauli, 1. Corinth. 8, 13. ne fratrem scandalizarem.

Annōn



*Annō autem, si termini illi & similiter cadentes terminationes omnino supprimerentur & removerentur, Articulate nihilominus Methodo suus & honor & locus in domo Domini constabit? Profecto mihi per benignitatem Altissimi in juventute mea Praeceptores contigerunt, viri clarissimi & ob concionandi facultatem celebratissimi, à terminorum usu quidem alieni, huic tamen concionandi modo, quem Articulatum inscripsi, ita interdum addicti, ut cum admiratione & delectatione omnium, Evangelium per duas tresve quaestiones locales sapienter explicuerint, atq; mihi, per longam observationem Canones, quos tertius liber continet, indagandi & conscribendi, occasionem & ansam praeberint.*

*Quapropter pientissimus Lector, pro sua sagacitate & candore, non tantum ipse inter accidentalia & essentialia Methodorum prudenter discernet; sed etiam, quando viderit, alios hac in parte*



hallucinari, & meum institutum sinistrè  
 interpretari, veluti à scopo aberrantes,  
 in viam revocabit, ac tandem, hisce mi-  
 cis Theologicis ad Dei gloriam & salu-  
 taria Ecclesie commoda fretus, meos co-  
 natus pios, pio voto prosequetur, me-  
 mor, quòd lex charitatis, non minorem  
 in ignoscendo equanimitatem, quàm in  
 cognoscendo dexteritatem, à nobis omni-  
 bus flagitet. Quod superest, oro Patrem  
 Domini nostri Iesu Christi, ut per gra-  
 tiam Spiritus sancti confirmet hoc, quod  
 operatus est in nobis, propter tem-  
 plum sanctum suum,  
 Amen.

Finis totius tractatus.



I N D E X



Index Primus,

RERVM ET VER-  
BORVM MEMORABI-  
LIUM, QUÆ IN HOC LIBEL-  
lo continentur, juxta seriem  
Alphabeti conscriptus.

A.

<b>A</b> Gathoclis Regis Siciliae humilitas, pag. 69	
M. Andreas Pangratus, Author Methodi Thematicæ, quis fuerit	195
Antichristi Romani terror, eiusq; causæ	169
Apostoli quare plerumq; sint bini nisi	85
Apostoli in coniugio vixerunt	213
Ars utrum Spiritum superet, aut contra	8
Auditorum proprietates	188
Augustini dictum de Ecclesia	176. 177
Augustini dictum de iusticia Magistratus	142
Augustini sententia de sepulturis	177
Augustini dictum de vita æterna	169
Aulica servitia periculosa	127
Avaritiæ vitium	80.

P 5

Bene-



I N D E X.

---

B.

<i>Beneficia D E I Ecclesiae praestita</i>	140
<i>Bernhardi sententia de Ecclesia</i>	177
<i>Bethphage descriptio</i>	84
<i>Bona à D E O donata duplicia sunt, caelestia &amp; terrena.</i>	11.

C.

<i>Coelibatus pericula quæ</i>	217
<i>Charitatis exemplum Christus est</i>	20
<i>Christi imago duplex in S. S. proponitur</i>	10
<i>Christus, etiam qua homo, est omniscius &amp; omnipotens</i>	85
<i>Christi Φιλανθρωπία variis nominibus est depicta</i>	34
<i>Christiani cur ovibus assimilentur</i>	95
<i>Chrysostomi sententia de coniugio Sacerdotum</i>	215
<i>Cibatio Dei triplex</i>	104
<i>Colloquia piorum qualia esse debeant</i>	71
<i>Concionandi opus omnium gravissimum</i>	1
<i>Coniugium Deo probari</i>	72
<i>Conjugij crux &amp; gravedo</i>	193
<i>Conjugij calamitatibus quid opponendum</i>	ibid.
<i>Conjugij fines</i>	216
<i>Coniugium Sacerdotum diu fuit impugnatū</i>	208
<i>Cornu quid in sacris literis significet</i>	60

---

Creten



# I N D E X.

*Cretenſium mos in promulgandis ſtatutis* 134  
*Crux piorum eduleatur,* 99.

## D.

*Decalogus qua ratione in Papatu everſus* 129  
*Dei cognitio in hac vita nobis neceſſaria eſt* 109  
*Doctrina de cœna Domini unde diſcenda* 137.

## E.

*Ebrietatis vitium* 79  
*Epiftolarum & Evangeliorum Dominicalium  
 conſonantia valde utilis & neceſſaria* 117  
*Erasmi iudicium de Auguſtino & Gregorio* 169  
*Erneſti Ducis Lunaburgeniſis ſymbolum.* 143.

## F.

*Fames verbis non ſedatur* 38  
*Ferdinandi Imperatoris dictum de Magiſtratus  
 affabilitate* 143  
*Fides & ratio humana luſtantur inter ſe* 14  
*Fidei effecta* 15  
*Fides quid poſſit in obtinendis rebus ſpirituali-  
 bus* 16  
*Fides rerum eſt inviſibilium* 13  
*Fide ſolâ hominem iuſtificari probatur* 148  
*Filius Dei ad quid in mundum venerit* 105  
*Fœmininus ſexus Deo non inviſus* 72  
*Fratrûm diſcordium exempla* 145  
*Furij Camilli lex.* 213.

Gene-



I N D E X.

G.

- Genezareth stagni descriptio* 52  
*Geographica opuscula consulenda* 51  
*Godfridi Bilonai Regis Hierosolimytani humi-  
litas.* 69.

H.

- Halleluia quid significet* 175  
*Harmonia omnium Evangelistarum quatenus  
attendenda* 49  
*Hieronymi sententia de coniugio Sacerdotum*  
215  
*Humilitatis exempla.* 69.

I.

- Iesu ad nomen num caput sit nudandum* 77  
*Iesu nomen quantam consolationem nobis suppe-  
ditet in arumnis* 78  
*Incredulitas sola mater omnium peccatorum* 19  
*D. Ioachimus Mörlinus quo genere docendi sit  
usus* 8  
*D. Iohannis Streitbergeri de M. Pangratio iudi-  
cium* 198  
*Iudicij extremi doctrina sepe tractanda* 127  
*Iudicium de quo Spiritus sanctus mundum ar-  
guet, quale sit.* 57.

L.

Laicis



I N D E X.

<i>Laicis an lectio Bibliorum à Christo prohibita</i>	58
<i>Laurentij Martyris fabulosa historia</i>	155
<i>Locorum communium usus in concione nunquam negligendus.</i>	73

M.

<i>Magistratus praestantia unde</i>	143
<i>Magistratus pij &amp; religiosi exempla</i>	145
<i>Mandatorum DEI numerus apud Rabinos</i>	135
<i>Maria quatenus plena gratia, num activè vel passivè</i>	56
<i>Marcionis haeresis</i>	208
<i>D. Martini Lutheri ratio concionandi quæ</i>	7
<i>Media acquirendi &amp; possidendi bona terrena</i>	116
<i>De Medicastris multis historia</i>	125
<i>Meditationes piæ hominis agonizantis</i>	194
<i>Methodorum concionandi varij autores</i>	2
<i>Methodus concionandi omnibus cognitu utilis</i>	3
<i>Methodus concionandi quadruplex est</i>	4
<i>Methodi concionandi, an præter quatuor, plures sint</i>	228
<i>Methodus Heroica num arbitraria sit dicenda</i>	6
<i>Methodorum concionandi convenientia &amp; discrepantia</i>	205
<i>D. Michaëlis &amp; Draconis pugna</i>	115. 116
<i>Ministri Ecclesie quibus modis præparentur ad sacrum officium</i>	100

M



I N D E X.

<i>Ministerij fructus</i>	191
<i>Ministorum fidelium remuneratio</i>	ibid.
<i>Ministorum Ecclesie proprietates</i>	188
<i>Ministorum verbi instructio</i>	190
<i>Ministorum Ecclesie requisita</i>	192
<i>Misericordia Dei omnium virtutum divinarum est commendatissima</i>	134
<i>Mortis inter homines quæ causa</i>	153
<i>Mysteria Dei non petulanter sunt scrutanda</i>	91

N.

<i>Nativitas Christi quantum gaudium in piis ex- citet.</i>	107
<i>Nazianzenus de pace</i>	177

O.

<i>Orationis efficacia</i>	125
----------------------------	-----

P.

<i>Paschaliū Auditorum vitia</i>	101
<i>Paschaliū Auditorum virtutes</i>	ibid.
<i>Paphnutij sententia de conjugio Sacerdotum</i>	214
<i>Paulus Apostolus fuit cœlebs</i>	218
<i>Pestis formidini quæ consolatio sit opponend</i>	a
23	
<i>Pestis quibus mediis non pellatur</i>	126
<i>Pios Deus respicit</i>	90



I N D E X.

*Pij 11. Pontificis vox de cœlibatu.* 215

R.

*Racha apud Matthæum quid significet* 55

S.

*Salutis generis humani causæ* 97

*Scelerati à Deo observantur* 89

*Schvvenckfeldiani erroris de Baptismo refuta-  
tio* 75

*Schola in Christianismo triplex* 98

*scripturæ sacræ scopus est Christus* 92

*Scripturæ sacræ summa quæ* 114

*Sela quid significet* 175

*Senecæ dictum de æquitate* 142

*Servorum Dei proprietates* 139

*Spiritus sancti iudicium super mundum quale  
sit* 57

*Spiritus sanctus quibus detur* 97

T.

*Trygi tyrannis & interitus* 36

V.

*Vitia & immortalitas à solo Christo* 111

*Vitia ebrietatis & avaritiæ vulgaria sunt & per-  
niciosissima.* 79

INDEX





## Index Secundus.

# REDIGENS FRAGMENTA ET MICAS EXPLICATIONUM Evangelicarum in ordinem, juxta seriem Dominicarum & Festorum.

- Dominica I. Adventus, Matth. 27. pag. 82. & seqq.*
- Dominica II. Adventus, Lucae 21. p. 79*
- Dominica III. Adventus, Matth. 11. p. 41*
- Dominica IV. Adventus, Iohan. 1. p. 209*
- Dominica post Nativitatem proxima, Lucae 2. p. 72*
- Dominica intra festum Circumcisionis & Magorum, Lucae 2. p. 34*
- Dominica I. post Epiphantias, Lucae 2. p. 54*
- Dominica II. Iohannis 2. p. 33. & 70*
- Dominica III. Matth. 8. p. 31. 67. & 69*
- Dominica IV. post Epiphantias, Matth. 8. p. 46*
- Dominica V. post Epiphantias, Matth. 13. pag. 68.*
- 123
- Dominica Septuagesima, Matth. 20. p. 208*
- Dominica Sexagesima, Lucae 8. p. 58*

Domini-



I N D E X.

<i>Dominicalium Quinquagesima, Lucae 18.</i>	p. 191
<i>Dominica Invocavit, Matth. 4.</i>	p. 39
<i>Dominica Reminiscere, Matth. 15</i>	p. 32. 184
<i>Dominica Oculi, Lucae 11.</i>	p. 42
<i>Dominica Letare, Iohan. 6.</i>	p. 39
<i>Dominica Iudica, Iohan. 8.</i>	p. 111. 204
<i>Dominica Palmarum, Matth. 21.</i>	pag. 83. &
<i>seqq.</i>	
<i>Festo Paschatis, Marci 16.</i>	p. 68
<i>Dominica Quasimodogeniti, Iohan. 20.</i>	p. 74
<i>Dominica Misericordias, Iohan. 10.</i>	p. 34. 100
<i>Dominica Iubilare, Iohan. 16.</i>	p. 122
<i>Dominica Cantate, Iohan. 16.</i>	p. 53. 57
<i>Dominica Vocem Iucunditatis, Ioh. 16.</i>	p. 180
<i>Dominica Exaudi, Ioh. 15. &amp; 16.</i>	p. 182
<i>Festo Pentecostes, Iohan. 14.</i>	p. 99
<i>Dominica Trinitatis, Iohan. 3.</i>	p. 109. 110
<i>Dominica post Tri- nitatis</i>	<i>Prima, Lucae 16.</i> p. 203
	<i>Secunda, Lucae 14.</i> p. 68
	<i>Tertia, Lucae 15.</i> p. 186
	<i>Quarta, Lucae 6.</i> p. 133
	<i>Quinta, Lucae 5.</i> p. 52
	<i>116</i>
	<i>Sexta, Matth. 5.</i> p. 55. 66
	<i>Septima, Marci 8.</i> pag. 9.
<i>&amp; seqq.</i>	
<i>Octava, Matth. 7.</i> p. 64	
<i>108</i>	

Q

Nona,



I N D E X.

	Nona, Lucæ 16.	p. 222
	Decima, Lucæ 19.	p. 154
	Vndecima, Lucæ 18.	p. 182
	Duodecima, Marci 7.	p. 52
	Decimatertio, Lucæ 10.	p. 147 148
	Decimaquarta, Lucæ 17.	p. 119
	Decimaquinta, Matth. 6.	p. 38. 146
	Decimasexta, Lucæ 7.	p. 53. & 131
Dominica post Trinitatis	Decimasextima, Lucæ 14.	p. 32. & 60
	Decima octava, Matth. 22.	p. 114. 123. & 134
	Decimanona, Matth. 9.	p. 223.
	Vigesima, Matth. 22.	p. 110.
	Vigesima prima, Iohan. 4.	p. 122
	Vigesima secunda, Matth. 18.	p. 45
	Vigesima tertia, Matth. 22.	p. 222
	Vigesima quarta, Matth. 9.	p. 47. 98. 130
	Vigesima sexta, Matth. 25.	p. 129

EVAN-



# EVANGELIA FESTORUM.

<i>Festo Natalitiis, Lucae 2.</i>	<i>Pag. 106</i>
<i>Festo Stephani, Actor. 6. &amp; 7.</i>	<i>p. 99</i>
<i>Festo circumcissionis, Lucae 2.</i>	<i>p. 61. 63. 75. &amp; 77</i>
<i>Festo Magorum, Matth. 2.</i>	<i>p. 31. 51</i>
<i>Festo purificationis Mariae, Lucae 2.</i>	<i>pag. 109. &amp;</i>
<i>176</i>	
<i>Festo annunciationis Mariae, Lucae 1.</i>	<i>p. 55</i>
<i>Die viridium, Iohan. 13.</i>	<i>p. 31</i>
<i>Die parasceves, Psalm 22.</i>	<i>p. 209. 210</i>
<i>Feris II. Paschatos, Lucae 24.</i>	<i>p. 101. 93</i>
<i>Festo Ascensionis Christi, Marci 16.</i>	<i>p. 190</i>
<i>Feris II. Pentecostes, Iohan. 3.</i>	<i>p. 96</i>
<i>Festo Iohannis Baptistae, Lucae 1.</i>	<i>p. 19</i>
<i>Festo Michaelis, Apocal. 12.</i>	<i>p. 115</i>



---

Q<sub>2</sub>

Index





## Index Tertius,

ALIORUM S. SCRIPTURAE LOCORUM QVAE  
IN HOC OPUSCULO SUB INCUDEM  
Methodorum concionandi sunt vo-  
cata, juxta ordinem libro-  
rum V. & N.T.

Genesis 1. In principio creavit	Pag. 33
Exodi 19. Decem praecepta	p. 119
Psalms 6. Domine ne in furore, &c.	pag. 36. &
seqq.	
Psalms 22. Deus Deus meus.	p. 209, 210
Psalms 90. Domine refugium	p. 153
Psalms 122. Lætatus sum in his	p. 140
Esaia 56. Iustus perit, & non est, &c.	p. 101
Item 138. & 141	
Ionæ 4. caput	p. 41
Sapient. 5. Stabunt iusti in magna	pag. 127
141	
Siracidis 25. In tribus placitum est Spiritui meo.	
p. 145.	
Matthæi 3. de Baptismo Christi.	pag. 100. &
229	

Matthæi



I N D E X.

Matthæi 6. super Orationem Dominicam.	pag.
124	
Rom. 3. Arbitramur hominem.	p.175
Rom. 8. Quos vocavit.	p.132
Galat. 5. Dico autem, Spiritu ambulate.	p.32
1. Thessal. 4. Nolumus vos ignorare.	p.180
1. Timoth. 1. Certus sermo.	p.194
1. Timoth. 3. Manifestè magnum est pietatis mysterium.	p.144
2. Timoth. 4. Ego jam delibor.	p.128

Soli DEO Gloria.







Lipsiæ,

Ex Officinâ Typographicâ Va-  
lentin. Am Ende.

ANNO

---

M. D C. XIII.

*Sumtibus Christoph. Elligeri Bibliop.*

℞ ( 0 ) ℞



















SLUB DRESDEN  
3 2318161

Jh. evang. past.  
268





T  
H